


CONSPECTUS
PRÆSENTANEÆ MORBORUM CONDITIONIS

AUCTORE

CAROLO ALLIONIO


IN ARCH. TAUR. PROF. BOT. EM., HORT. PUBL., ET MUS. RER. NAT. DIR. PRIM., R. SCIENT. TAUR. ACAD. SOCIO, ET THESAUR. PERP., NECNON ACAD. BONON., LUGDUN., MADRIT., ET PATAV., SOCIET. BASIL., BEROL. NAT. CUR., CÆSEN., PHYSICO-BOT. FLOR., GOTT., R. LONDIN. ET LINNÆAN., LUNDENS., PATRIOT. MEDIOL., MONSP., R. MEDIC. ET HIST. NATUR. PARIS., UPSALL., ETC. SOCIO











AUGUSTAE TAURINORUM
EX TYPOGRAPHIA JACOBI FEA
MDCCXCIII.

BENEVOLO LECTORI

CAROLUS ALLIONIUS

Fidem datam libero, Benevole Lector, atque Librum profero exhibentem eam purpurae miliaris hodiernis temporibus frequentioris factae indolem, ex qua profecta est tanta morborum a veteri norma aberratio. Haec mutatio post annum 1766 *distinctim adnotata meum animum perculsit* *, *atque ad observandum excitavit, sed ab annis sex tan-*

* *Etiam anterioribus annis, post annum nempe* 1747., *quo primum aegros invisere coepi, quaedam etiam consimilis purpurae cum iisdem morborum successionibus exempla mihi occurrerunt, sed ea rara fuerunt, neque eam symptomatum, et signorum collectionem offerebant, quam postea observavi.*

topere diffusa est, ut in hanc calamitatem multa pars hominum inciderit; nihil igitur neglexi, ut quantum fieri posset, collectis observationibus hujusce morbi, qui novitatis specie animum percellebat, progressus, atque natura probe mihi innotescerent. Verum cum tantopere pateat rerum dicendarum amplitudo, utpotequae omne fere morborum genus mutatum comprehendat, diversamque medendi rationem expostulet, plane intelligo, me ita non posse opus hoc exequi, ut eam quam vellem absolutionem acquirat. Dum igitur rogo praestantes viros, qui hanc salutarem artem exercent, ut velint sedulo in hujusdam naturam, curandique rationem inquirere, quae observatio me docuerit hoc opusculo conclusa offero, voti satis compos, si meae observationes eam, quam confido, utilitatem habuerint, meisque prolatis observationibus, aliorum diligentiam ad novas, et uberiores disquisitiones excitaverint.

Quaedam omnino singularia in prae-

*sentanea, et qualis apud nos existit morborum facie video, quae apud auctores **, quantum ego scio, accurate adnotata non reperio; si majus otium, et ex voluntate valentem oculorum aciem habuissem, cum eorum, qui nostris temporibus scripserunt commentariis contulissem, atque num nova sint, aut minime, securius statuere possem. Sed licet ea, quae sum narraturus, jam ab aliis exposita essent, suo certe tamen pretio meus hic labor non carebit ad patriae utilitatem praesertim exaratus. Pro varia enim coeli, locorumque diversitate, idem morbus quandoque diversa ratione progreditur, atque apta-*

*** Diligenter expensis, atque inter se comparatis iis, quae de pellagrae morbo scripserunt praestantes viri Frapolli, Strambi, Albera, Odoardi, Videmar, Gherardini, de Herens Chvald, Jansens, Franzago, della Bona, mihi videtur ad praesentaneam morborum indolem pertinere pellagram. Meam opinionem tuentur novitas morbi, ejus epoca, qualitas etiam haereditaria, et peculiaria phoenomena, remediorum exitus, morbi successiones, et finis, atque denique extispicia, quae cum nostris observationibus etiam consentiunt.*

iam solo suo saepe medicinam requirit.

Quantum igitur per me licuit morbum ad aegrotantium librum per omnes suas differentias, et compositiones descripsi, seduloque tum morbi symptomata, cum phoenomena, atque remediorum exitum fideliter adnotavi. Ex omnium autem consideratione, et comparatione, non modo summas morbi proprietates constitui, sed iis innixus, in morbi naturam, caussamque proximam inquisivi, atque iis suffultus observationibus, quae mihi sufficientem lucem dare visae sunt, animose conatus sum omnium phoenomenorum, atque singularium mutationum, quae in hoc morbo adeo variante, et multiplici modo occurrunt, rationem dare, quibus aditus mihi facilior pateret ad eas illustrandas regulas curationis, quas mihi experientia monstravit. Ex lectione autem mei opusculi luculenter patebit, quae fida, et constans experientia mihi demonstraverit, et quae ex ratione, et opinione putem aut fieri posse, aut esse

facienda. Aliquando enim non ille mihi praesto fuit observationum numerus, ut sola experientia, non autem opinio me regere debuerit.

Voluissem equidem geometrico, simplicique stylo, ut olim feci, et hunc librum conscribere, sed hanc voluntatem exequi prohibuit meorum oculorum imbecillitas, ex qua factum est, ut quasdam repetitiones effugere nulla ratione potuerim, atque eadem ex caussa quaedam ad diagnosim speciatim pertinentia diversis etiam locis reperiantur, quae tamen eo loco, quo extant omnino utilia videntur. Oportet igitur ad penitiorem meae mentis rationem probe noscendam, ut omnia, quae scripsi primum legantur, deinde iterum, atque accurate inter se comparentur. Rogo te nunc benevole Lector, ut velis humaniter excipere meum animum, meosque labores, qui certo non exigui extiterunt sive in notionibus colligendis, et bene videndis, sive in iis ordinandis, atque expendendis, ut morbi naturam, atque

phoenomena pro mearum virium ratione explanarem, quaeque ad curationem spectant possibili securitate proferrem.

EPITOME

TOTIUS OPERIS.

ERRATA — CORRIGE

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
Praef.			
2	16	hujusdam	ejusdem
1	3	caepit	capit
3	8	odonthalgia	*legatur ubique* odontalgia
3	11	phlegmasia	phlegmatia
3	19	nuptae	recens nuptae
4	22	. Neque	, neque
7	9	pro vi idearum, quarum impressio ultima est, interdum constanti firmitate persistere.	genitis ex idearum, quae ultimo excitatae sunt, impressione inusitata firmitate consistere.
12	3	redditura	reditura
23	23	confert;	confert
33	23	celestis	celeris
41	1	Hae	Haec
42	6	sensus	sensu
44	18	constrictiones,	constrictiones
52	10	fit	sit
58	26	peccat	necat
63	5	inhaereat	haereat
64	7	obtusus	obtutus
70	25	indicent	judicent
87	3	vexasse	vexatum
92	28	evanuit	evanuerunt
94	23	consequi	concoqui
106	21	vomitus	vomitu
109	5	materia morbifica	materiae morbificae
119	19	accubitu	habitu
120	12	confectiores	confertiores
122	7	haemorrhagiam	haemorrhagia
122	29	ut deinde rumpantur	*dele*
133	3	stimulantes	simulantes
133	12	aperte	apertae
138	12	quidam	quidam apparet
143	28	extillans	extillat
154	27	dolens	dolens oritur
156	2	pertracta	pertractata
156	9	obalgia	otalgia
175	31	peticularem observasse	peticularem
178	14	ut adjunctis	aut adjunctis,

181	15	diffunditur	suffunditur
184	11	ipse	ipsi
185	13	indicandi	judicandi
186	20	illumque	illudque
188	9	se obtulit	obtulit
208	6	suam. Non	suam non
209	29	flamma	de flamma
218	1	epsorae	psorae
222	18	vix nulla	vix ulla
224	25	que	quae
232	8	labefactans	labefactat
233	1	nunc	nullam
241	4	adipiscuntur	adipiscuntur,
241	8	videtur	videntur
246	29	ii	ii incidunt
251	5	famulantur	famulantur, movet
251	13	dirigendo	digerendo
251	26	atque	quam
252	20	siccitati	qualitati
253	12	gignunt	gignit
258	20	judicatur	indicatur
260	5	febris	febre
263	20	elongatur	elongatus
277	19	evertendum	everrendum
279	17	cietur	cieatur
283	20	calcitra	culcitra
285	13	curcurica	curcuma
288	16	moventi aremedia	moventia remedia
290	12	observavi. Ut	observavi, ut
294	27	ex aliqua	et aliqua
299	19	atque	alterum
311	6	propria	propriae
312	10	mollientis	molientis
313	18	jam	cum
316	16	quae	qua
319	21	judicationes	indicationes
320	26	cerotum	ceratum
340	12	sectioni	vectioni
344	25	tunc potissimum	potissimum

VITTORIO AMEDEO

PER GRAZIA DI DIO RE DI SARDEGNA, DI CIPRO, E DI GERUSALEMME; DUCA DI SAVOJA, DI MONFERRATO EC.; PRINCIPE DI PIEMONTE EC.

Nella determinazione presa dal Professore emerito di Medicina nella nostra Università, e Direttore primario del Museo di Storia naturale, e dell' Orto Botanico Dottore Carlo Allione di far ristampare il suo trattato delle Migliarie, con molte note, ed aggiunte, che vi ha fatte, e di dare successivamente alla luce a pubblico benefizio un altro libro da lui composto col titolo di *Conspectus praesentaneae morborum conditionis*, nel quale descrive le mutazioni de' mali succedute principalmente da dieci anni a questa parte, e della maniera, con cui egli crede, che si debba provedere a' medesimi, è a Noi ricorso, e rappresentandoci il grave danno, che verrebbe a risentire, qualora i suddetti libri venissero da altri fatti ristampare, ovvero s' introducessero ristampati fuori Stato, ci ha supplicati di accordargli perciò il privilegio privativo. Abbiamo favorevolmente accolta la di lui dimanda, in vista di dargli un contrassegno del gradimento, con cui rimiriamo le fatiche ed attenzioni, con cui egli si adopera a vantaggio del pubblico; epperò colle presenti, di Nostra certa scienza, ed autorità Regia, avuto il parere del Nostro Consiglio, abbiamo accordato, ed accordiamo senza pagamento di finanza al prenominato Professore emerito Carlo Allione il privilegio privativo per anni dieci prossimi di fare stampare da quello stampatore, che verrà da lui destinato, i sovraespressi due libri intitolati, cioè uno *il trattato delle Migliarie*, e l' altro *Conspectus praesentaneae morborum conditionis*, inibendo a chiunque altro di stamparli, ristamparli, o farli stampare sotto il medesimo, od altro titolo, oppure d' introdurli, smaltirli, o venderli, nel caso che venissero stampati fuori Stato, e ciò sotto la pena della perdita de' libri medesimi, i quali cederanno al Supplicante, e di scudi 50. al Fisco Nostro applicandi per ogni contravvenzione.

Mandiamo a chiunque fia spediente di osservare, e fare osservare le presenti, le quali vogliamo, che siano spedite senza pagamento de' diritti di quos, ed albergo, derogando per quest' effetto al disposto de' §§. 2, e 14. cap. 2. tit. 1. della Tariffa. Che tal è Nostra mente. Dat. in Torino li venticinque del mese di decembre, l'anno del Signore mille settecento novanta due, e del Regno nostro il vigesimo

V. AMEDEO

V. Corte
V. Petitti di roreto
V. di Serravalle

Graneri.

PROEMIUM.

Dicturus de morbo, qui saepius ab aliquot annis videri coepit, et aucta frequentia majora in dies coepit incrementa, primum proponam quae fuerit ante triginta annos morborum conditio, et quomodo sensim apparuerit alia morborum facies, nunc temporis ad illum, quem videmus, gradum evecta; sentio enim non alia ratione id fieri posse, ut penitius morbi natura innotescat.

Triginta et amplius ab hinc annis magnum terrorem inferebant miliares febres modo simplices, modo complicatae sub eo aspectu, quem anno 1758. exposui, neque de febribus putridis frequens sermo erat. Morbi generatim inflammatoriae, aut rheumaticae, ut dicitur, humorum conditioni se se accomodabant. Februario exeunte pleuritides, et peripneumoniae saepe occurrebant interdum epidemicae, quales (Tract. de Miliar. §. 103.) indicantur, et saepe miliaribus prospere, aut prompta



nece finiebant. Dysenteria, qualis olim exeunte aestate consueverat apparere, in praesentiarum non observatur, atque si alvi fluxus cruentus veniat, non est cum tenesmo mucoso, et sanguinolento, sed affatim sanguis primum niger, deinde purus evacuari solet, et stationarium provectae, aut declinantis aestatis morbum non constituit.

Æstivis temporibus vexabant febres intermittentes, sed legitimae, duplices aut simplices cum rigore redeuntes, et inducentes in urinis sedimentum lateritium, quae, nisi obstaret inflammatoria, aut rheumatica aliqua morbi compositio, cortici peruviano cedebant, eoque ex ordine protracto sine recidiva, aliisque incommodis superabantur. Rarior erat quartana.

Anginae nisi ad larvam miliaris morbi pertinerent, si non solvebantur, in suppuratum abibant. Erysipelas consueverat post vehementem rigorem apparere, atque pars erysipelato affecta dolebat cum caloris sensu, phlyctenarum apparitione, et cuticulae desquammatione. Rarissimae erant peticulae, et earum aliquot exempla tantum exeunte autumno apparebant. Variolae autem, et morbilli juxta naturam suam procedebant.

Hi omnes morbi partim rariores facti

sunt, partim aliam progrediendi rationem susceperunt, sicuti ex iis, quae suo loco proponemus, constabit. Alii autem morbi in eorum locum suffecti sunt, et paullatim frequentiores facti, quorum praecipuos enarrabimus, quin tamen eorumdem indolem persequamur. Hujusmodi autem sunt odonthalgia, dispnoea hydropem pectoris minitans, sed quae post diuturnum conflictum, et praeter omnem expectationem levamen recipit a tibiarum phlegmasia. Mania, et melancholia frequentiores sunt, quam olim extiterint, atque peculiaris naturae.

Leucorrhaea foeminis, haemorrhoides viris molestae sunt. Virgines pallidae sunt sine chlorosi, et iis praecocius menses veniunt; mammae vero valde inaequales, et inaequali tempore crescunt, et sinistra plerumque suum incrementum fere perficit dextera vix protuberante. Nuptae, atque puerperae prompte concipiunt, sed et facile abortum patiuntur. Iis catameniae frequentius revertuntur, immo haemorrhagiae uteri familiares sunt. Adolescentibus, et juvenibus frequens est haemorrhagia e naribus. In utroque denique sexu major est ad libidinem impetus.

Malum ischiaticum, dolores podagram referentes, inopinatae mortes, et nervo-

rum morbi magna frequentia contingunt. Non infrequenter etiam dejectiones nigrae praesertim in acutis observatae sunt, quae rarissime olim eveniebant. Scrophulae nunc pene disparuerunt, atque dirus canchri morbus rarior factus est, aliaque, si occurrat, ratione progreditur. Perniones ipsi nunc aliam faciem exhibent, et raro suppurant.

Lues ipsa venerea a decem annis celeri * gradu est infirmata: phymosis, et paraphymosis, tum etiam canchri multo mitiores sunt, et raro admodum gangraenosam inflammationem afferunt; gonorrhaea saevitiem non monstrat, sed diutissime trahitur; lues demum venerea lenti, et mitioris curriculi est, et licet confirmata, dolores tantummodo in habitu corporis afferre solet, neque cito, ut olim eveniebat, fauces rodere, uvulamque consumere, et ad ossa penetrare pergit. In foeminis diutissime procedit. Neque multum incommoda est gonorrhaea, et nonnisi instantibus menstruis paullo molestior est, atque ab iis potissimum minus facile contrahitur.

Sanguis secta vena eductus nostris temporibus paullo rarius phlogisticam crustam

* Jamdudum adnotatum est luem veneream sensim labentibus annis successive infirmatam fuisse, sed mutatio quam habuit a decem annis omnino insignis est.

offert, minus coccineus, saepissime subfuscus, concretus, licet tenerae consistentiae. Nihil autem fere frequentius est vertigine, dolore stomachi, et intestinorum, et oculorum rubore, qui exeunte vere anni 1791. non modo in urbe Taurinorum, verum et in agro Pedemontano tamquam epidemicus morbus magnam hominum partem utriusque sexus corripuit.

Post annum 1766. miliaris morbi curriculum saepius aliter se habere observavi, et in diutinum, variumque morbum converti. Post annum 1771. frequentiora esse coeperunt hujusce mutatae febris exempla. Verum ab annis quinque plurimum diffusum hoc malum est, neque solum intra urbem Taurinorum constitit, sed universa regio Pedemontana, proximaque etiam Sabaudia profert admodum frequentes casus hujusce exanthematici morbi, qui licet non habeat acutam, et veterem miliaris morbi saevitiem; gravis tamen et truculenta est propter innumeras, multiplicesque successiones, quae lente, et miserrime homines perdunt. Post annum etiam 1767. una cum miliariis peticulae, et febres putridae saepius notari coeperunt crescente continuo earum frequentia ita, ut ab annis quinque febrium putridarum nomen omnium aures personet. Quum autem sub

multiplici larva morbus procedat, atque ejusdem imperium coegerit alias infirmitates a suo naturali statu recedere, novamque faciem induere, morbusque saepius diutissime trahatur, anteaquam hominem, quem tenet occidat; hinc fit ut omnino multa sint, quae de hoc morbo dicenda occurrunt, et propter multiplices larvas, sub quarum imagine progreditur, insignes symptomatum variationes, variumque finem, quem morbus habet, omnino difficile sit varios effectus, variaque symptomata tum ad suam secundariam veram causam redigere, cum singula aequo ex ordine recensere.

Sed proh miseranda temporum sors et conditio! Eadem caussa, quae salutem corporis labefactavit, et ipsi animo grave vulnus inflixit cum magno hominum detrimento. Pedetentim enim memoriam infirmavit, atque medullam cerebri, nervosque ipsos ita vitiavit, ut et medullarium fibrarum aliae nimis prompte, aliae minus, aut nihil etiam obsequentes animae redditae sint, dum aliae vehementer eam afficiunt. Ex his autem fit, ut ratiocinandi facultas continuo arctioribus limitibus sit circumscripta, atque interdum cogatur anima, ex defectu idearum, quas comparet, erronee judicare et velle, aut etiam

nimis rapide trahatur a nonnullorum nervorum, qui fortiter percellunt, impressione. Et sane video in praesentiarum plures eorum, qui in hanc infirmitatem inciderunt, de memoriae imbecillitate conqueri, etiam incomposite loqui, voraces, iracundos, libidinosos esse, rerum etiam gravium, quae ipsis evenerunt facile oblivisci, et in judicio, ac voluntate pro vi idearum, quarum impressio ultima est, interdum constanti firmitate persistere. Non paucis autem sine evidenti caussa mens varie submovetur, iique in tristitiam, malum hypocondriacum, melancholiam, delirium, maniam, desipientiam veniunt, atque ultimo ad fatuitatem deducuntur.

Lugens igitur praesentem malorum conditionem, quae corpus, et mentem labefactat, deprecor non modo concives, et nationales, sed etiam exteros * oculatos, atque praestantes viros, quorum judicio meas observationes submitto, ut velint eas ad aegrotantium librum expendere, atque novas instituere, probatasque in hominum utilitatem proferre, ut possimus luem hanc debellare, aut saltem ejus co-

* Ea, quae in quorumdam Auctorum commentariis legi, tum etiam, quae ipse in advenis adnotavi mihi demonstrarunt haec mala neutiquam aliis regionibus parcere.

natus irritos reddere, eamque ne magis se se diffundat continere.



CAPUT I.

GENERALIA QUAEDAM.



Quamvis hujusce morbi origo, et ea quam nunc videmus frequentia adventitiae causae multum tribuenda sit, tamen etiam a parentibus in progeniem traducitur jure haereditatis; idcirco licet haereditarius, et acquisitus natura non differant, et haereditarius omnia acquisiti symptomata exhibeat, similesque praebeat successiones, distingui tamen haud inopportune poterit in adventitium, et haereditarium; eo quod haereditarius diutiori temporis spatio, et paullo aliter quam adventitius incipiat, et primum progrediatur.

Nulli hominum, nulli aetati parcit, masculos et foeminas aggreditur, atque huic subjacent cives, et agricolae, sive qui in humilibus locis vivunt, sive qui collina, et montana loca inhabitant; et

ii etiam qui vino abstinent ab eo immunes non sunt. Frequentius autem homines non exercitatos, et foeminas vitam mollem ducentes afficit, in iis conceptum non impedit, immo promptiorem reddit. In hac autem aegritudine, cujus curriculum valde diutinum interdum est, atque saepe plurium annorum spatio continetur, quatuor stadia distinguimus.

Primum constituunt phoenomena quaedam, morbique minores recurrentes, qui febrem exanthematicam praecedere solent.

Alterum stadium signatur a febri exanthematica, quae raro plenam et absolutam morbi judicationem facit.

Tertium stadium designatur ab eo statu universali, morbisque particularibus, qui exanthematicam febrem subsequuntur.

Quartum denique constituit ille ingravescens status universalis, aut illud morborum localium incrementum, atque ille progressus, qui hominem interimit.

CAPUT II.

DESCRIPTIO MORBI ACQUISITI.

I.MUM STADIUM.

Vario quidem, sed non diutino a suscepto miasmate intervallo cephalalgia de repente advenit, aut sensus cujusdam vertiginis brevis et fugacis sine manifesta caussa, quae unius diei spatio superatur. * Phlogosis etiam faucium alios corripit, aut cum raucedine, tussicula, et coryza, quae paucorum dierum spatio cessant, et sine ordine redeunt sine causa, aut ex levi causa procathartica. Haec mitissima mala sine ulla, aut cum aliqua febri, atque sudore

* Multoties animadverti, robustos homines, optimaque utentes valetudine, posteaquam assiduo aegris exanthematica febre laborantibus sine convenienti cautela adstitissent, in eandem calamitatem incidisse. Vidi etiam nullum fere ex assidentibus qui gravi et diuturna hac infirmitate laboranti officia sua praestiterint, morbum tractu temporis explicandum effugisse tum maxime cum aegri cubiculum amplum non esset, neque perflatum ita, ut nullum dubium sit, hanc calamitatem ab uno in alium facile transmitti, si debitae cautelae non adhibeantur.

aliquantum olente brevi temporis spatio finem habent. Alios vexat odonthalgia iterato, saepius recurrens, aut dolor abdominis, qui similiter fugax est. Interim eo temporis intervallo, quo aegri sine ullo incommodo vitam transigunt, solent nocturnis praesertim horis solito copiosius mingere lotium tenuius. Postmodum auris sinistra incipit sussurrare, atque post has breves morbi accessiones de succedanea quadam artuum inferiorum imbecillitate, eaque fugaci conqueruntur. Hisce incommodis, duo se se jungere solent singularia hujus morbi phoenomena numquam fere non evenientia, et signum atque indicium pathognomonicum morbi praebentia, quae sunt alterius auris, atque fere semper sinistrae diminutio et abbreviatio cum lobuli attenuatione; similiterque pulsus in sinistro carpo quaedam praeternaturalis demissio et debilitas. Interdum etiam evenit, ut post cephalalgiam et vertiginem recurrentem melius se aeger habeat; sed persentiat quemdam veluti ex rheumatismo in abductione et deductione brachii in summo humero dolorem, qui diu durare solet, quin de alio incommodo aeger querelam moveat. Aegri bene dormiunt, immo solito serius expergiscuntur, atque interdum imbecillitatem artuum inferiorum ac-

cusant, praesertim post vertiginis paullo fortioris renovationem.

Aestas haec mala solet imminuere, autumno tamen adulto, aut hyeme reddi-tura, nisi aestate in universo corpore per plures vices cum foetido sudore pustulae rubrae, atque vesciculae apparuerint. Latentis autem miasmatis significationem dabunt aurium sussurrus, lotii aliqua tenuitas, atque auris, pulsusque memorata conditio.

Intervalla porro recurrentis tussis, aut brevis anginae, aliorumve malorum, quae secundum stadium antecedunt, remota aut proxima sunt pro varia aegrorum conditione et suscepti miasmatis evolutione, atque interdum evenit, ut aliquot anni labantur, priusquam ad febrem exanthematicam aegri deducti sint. Sed consueverunt hi morbi continuo gradu fortiores fieri, et per aliquem sudorem mitigari, qui viscida foetidaque sua conditione aliam morbi significationem adjungunt.

Ad stomachum aliquando in ipso morbi initio statim venenum descendit, quod flatulentias, distensiones, doloremque stomachi cum alvi segnitie producit cum pluribus affectionis hypocondriacae symptomatis, quae passio hypocondriaca ad diutinum etiam tempus perdurat, donec sto-

machi primum dolore cessante, aliisque malis genitis, excitataque febri morbus exanthematicus explicetur. Alias revertuntur dolores abdominis etiam remotis intervallis vehementes, et inopinato atque saepius nocturnis horis advenientes, qui similem successionem habent. Ii autem, quibus venenum initio ad stomachum et intestina defertur, alvum segnem et duram habere solent cum duris scybalis, quae primum ex viridi obscurae, deinde etiam fuscae, aut nigrae evacuantur, sed quodam peculiari mucido fere cadaveroso odore, qui similis est illi, quem olent sudores in illis, quibus jam provectior morbus est. Haec autem cum tali odore foecum conditio alterum existentis morbi signum pathognomonicum praestat.

Aliis post caephalalgiam rubor oculorum de repente advenit modo fugax, modo perdurans. In quibusdam etiam in dextera gena erysipelas apparet, quod duorum aut trium dierum spatio evanescit, et nullius momenti aegritudo videtur. Similiter autem ac dictum est de tussi ac angina, aut statis temporibus, praesertim vere et autumno hoc malum revertitur ante morbi explicationem. In quibusdam aliis pustulae rubrae et prurientes, et quandoque brevi temporis spatio evanescentes in brachio

saepius dextro, et signatim super dorsum manus adveniunt, et redeunt semel aut bis in anno, vere praesertim et prima aestate, antea quam morbus exanthematicus se prodat.

In aliis vidi apparuisse maculas solitarias rubras in brachio, aut dorso manus, aut collo pedis ad diutinum tempus persistentes. In aliis primo praesertim vere diu durans apparuit macula rubra lucida, colligens minutas pustulas rubras cum ardore prurientes, atque lente crustosa evadens: sine ullo deinde sensibili incommodo vitam transegerunt, sed post unum aut alterum, aut plures etiam annos morbus se se explicuit.

Multiplicis generis incommoda summa varietate et inconstantia se consequentia vexant quosdam, priusquam ad secundum stadium deveniant. Haec autem sunt caephalalgia, odonthalgia, gastrodynia, dolor vagus in habitu corporis, humor etiam inconstans in abdomine, stupor pungitivus fugax in manibus, et digitis, tremor saepius in brachio dextero, incalescentia vultus cum suffuso fugaci rubore mentem momento fere temporis tollens, tristitia sine caussa recurrens, aliaque plura, quorum pleraque in tertio stadio frequentiora sunt, suoque loco enarranda. Ex auris

autem statu, pulsus, et foecum conditione, tum etiam ex mammae et foemoris sinistri lateris cum dextero latere comparatione Medicus poterit enucleate intelligere quaenam lateat caussa tot malorum, quae, ut diximus, semper magnam habent inter se variationem.

Hujusmodi mala a minus sagacibus Medicis unice habentur pro motibus spasmodicis a sola nervorum mobilitate productis vulgo *contrazioni*, qui de iisdem radicitus curandis solliciti in usu antispasmodicorum tempus terunt. Malis evidenter a spasmo nervorum ortis, et a caussa nostri morbi productis saepius laborant foeminae, sive caussa stimulans uterum, sive stomachum, sive cerebrum feriat.

Sed hujus census convulsiones per exanthemata finem habent, aut per leucorrhoeam aliquandiu conticescunt. Minime vero rarum est, ut postquam diu hanc motuum spasmodicorum afflictionem passae sunt, excitata febri, morbo in anginam aut tussim cum febre conjunctam mutato, ineant stadium febris acutae exanthematicae.

Qui latentem hanc luem habent, atque ii maxime, qui jam a diutino tempore intra corpus gerunt, frigoris sunt intollerantes, atque ex frigore in artuum imbe-

cillitatem deducuntur. Sed nunc omnia persequemur plane singularia in hoc morbo, quae signum pathognomonicum componunt. Auris sinistra minor est dextera, et ejus lobulus notabiliter diminutus est ita, ut in quibusdam fere dispareat.

Pulsus, ut jam diximus, sinistri * brachii demissior et minus frequens est. Capilli lateris sinistri molliores sunt, atque in respondenti mento barba rarior est, minusque pungit. Gena sinistra tenuior est, atque buccae magis appressa, non collapsa, atque inter mandendum a dentibus arripitur. Cutis brachii sinistri titillatione explorata minus sentit, similisque diminutio sensus se monstrat sive in capite, sive in gena, sive in femore, et tibia ec. ejusdem lateris sinistri. Haec autem minor sensibilitas in brachio sinistro evidentior est, atque primum observatur. Auris sinistra sussurrat, et rudiores strepitus sine molestia non fert, dum in aure dextera auditus obtusus est. Collum autem dextrorsum facile deflectitur, atque os etiam dextrorsum facile trahitur. Saliva vero sive per somnum, sive in elocutione

* Medicus ut enucleate metiri possit dextri sinistrique pulsus differentiam, neque diversitas temporis, quo pulsus exploratur hallucinationi locum praebere possit, debet utrumque carpum eodem tempore explorare.

per dexteram oris commissuram facile elabitur. Porrecta vero lingua extra os lambit potius dexteram oris commissuram, atque in ore volutata facilius ad dexteram partem buccae se confert.

Deglutitio in sinistro latere oris levem quidem, sed aliquam difficultatem interdum habet, et in eodem latere post somnum muci aliqua portio haerere solet.

Brachium idem sinistrum macilentius est, quam dexterum, dum interim mamma sinistra una cum lumbo, et crure ejusdem lateris aliquam majorem plenitudinem offerunt, quam in dextero latere. Foeminae etiam ipsae non modo femur, sed et vulvam in eodem sinistro latere crassiorem esse dixerunt. Hae autem mutationes aeque in masculis, ac in foeminis observatae sunt, atque evidentiores in iis, quibus habitus corporis mollis, et spongiosus est. Si propter aegri conformationem eveniat, ut malignum miasma dexterae auris, dexterique brachii conditionem immutet, tunc reliqua omnia phoenomena, eadem ac diximus de brachio sinistro ratione permutantur, atque collum tunc ad sinistram partem deflectitur etc., mammaque dextera cum femore dextero crassescit, brachio dextero graciliori facto.

Quod si hujusmodi homines aut in erysipelas, aut in anginam, aut in dolorem capitis incidant, aut musculi abdominis dolore tententur, aut tibiae maleolique rubeant aut doleant vel intumescant, haec mala dexteram potius partem tenere solent. Summus etiam humerus dexteri brachii saepe dolet in abductione, et elevatione, atque haec aegritudo contumacissima esse solet aure, ut diximus, sinistra, brachioque minoribus.

Interdum utraque auris minor est utriusque carpi pulsu minore; tunc autem collum in alterutram partem cito versatile, et varie deflexum. Si materia morbifica statim ab initio a cerebro descendat ad pectus, vix in aure mutatio observatur, aut utraque auris aliquantum retracta est, aut non adnotatur illud discrimen, quod memoratum est de pulsu brachii sinistri, pulsu tamen utriusque brachii facto aliquantum minore, et differentia pulsuum minor est. Progrediente morbo femur sinistrum debilius fit, atque etiam cutis universa sinistri lateris minus sensibilis redditur, fonticuli in sinistro latere minorem quantitatem liquidi fundunt. Vesicantia sinistro lateri applicita aegre vesicam attollunt, et cito exsiccantur. Cucurbitulae super dorsum ad sinistrum latus applicitae

vix cutim elevant, et minus dolent in morbo jam provecto. Ungues autem in sinistro latere fragiliores, tenuiores, minusque crescunt, et ad latera incurvantur. Pustulae autem, phymata, panaritia summorum digitorum, perniones etc., potius in dextera parte, quam in sinistra observantur.

Ultimo animadvertam aegros super sinistra parte, si ea affecta sit, somnum arripere non posse, sed quadam inquietudine, et capitis interna perturbatione cogi ad alterum latus se convertere, atque adjiciam haec phoenomena primi stadii etiam per totum morbi curriculum perdurare, aut etiam augeri, nisi in secundo stadio morbus superetur, aut saltem diminuatur.

II.UM STADIUM.

In altero stadio natura conatur excitata febri urgere materiam morbificam ad cutim, exanthemata producturam. Sub multiplicis autem morbi imagine haec actio procedit pro varia positione materiae morbificae, quae dimovetur, varias partes impetens, et pro varia mutatione, quam humores subierunt. Itaque sub imagine anginae, odonthalgiae, haemorrhagiae,

febris catharralis, febris putridae, febris, ut ajunt, rheumaticae intermittentis, quotidianae, aut etiam febris peticularis incipit morbi scena. Tempus autem non teremus iis enarrandis, quae ad singulorum symptomata pertinent, aut illis referendis mutationibus, quas ab adjuncto hoc veneno praedicti morbi suscipiunt, cum haec tradituri simus in morborum localium, et complicationum expositione. Quae tantum huic febri exanthematicae sunt peculiaria persequemur.

Nullo servato ordine modo citius, modo serius exanthemata erumpunt: verum ea semper per aliquot, aut plures dies sudores praecedunt viscidi et foetentes, odoris singularis inter mucidum et lixiviale, aut cadaverosum, quod tamen et una acidum saepe solet redolere.

Post hos sudores apparent exanthemata, quorum magna varietas est; modo enim maculae rubrae morbillos referentes exeunt, easque citato gradu sequuntur pustulae rubrae, aut vesiculae minimae pellucidae, alias cum aliqua rubedinis in cute suffusione exeunt pustulae majores rubrae, quae in cacumine vesicam produnt. Nunc fere totae pustulae in vesiculam abeunt sero crassiore turgentes, annulum tantum quemdam ad basim servantes. Interdum

autem tamquam ex scarlatina cutis rubet cum minutissimis pustulis, quae disparente rubore in minimas vesiculas transeunt.

Aliquae puncturae primum persentiuntur, deinde pruritus, et dum plenior fit eruptio, intolerabilis ardor tamquam ex applicito igne aegros excruciat, qui eosdem in summam jactationem, et veluti furorem agit *. Primum expulsio apparet in pectore et dorso, etiam in facie et brachiis, deinde in abdomine et artubus inferioribus, etiam sub plantis pedum post validissimas puncturas.

Si pulsus sinister minor sit, in toto sinistro latere longe parcius exanthemata erumpunt. Vesiculae non facile exarescunt in squammulas, sed aut disparent, aut immutatae aliquandiu persistunt. Quarto, quintove die, atque etiam citius, nisi sudor se sustineat, rubor evanescit, atque materia morbifica iterum in sanguinem resorbetur. Tunc autem modo repetit angina, atque plura ex incommodis, quae praecesserunt eruptionem, renovantur.

* Hic intolerabilis sensus ardoris huic exanthemati proprius omnino est, et non modo in acuto morbo, sed etiam in exanthematicis efflorescentiis primi stadii occurrit.

Consulat lector diligenter quae a nobis tradita sunt circa complicationem miliarium cum peticulis in tractatione de miliarium etc.

Saepius de flamma intus discurrente conqueruntur aegri, quae pectus feriens magnam agrypniam, et anxietatem facit, et cerebrum petens delirium, soporem, tristitiam, atque animi abjectionem gignit. Tunc temporis febris imminuitur, sed ea brevi iterum exurgit, atque natura iterum eruptionem molitur. Hujusmodi partiale curriculum exanthematicae eruptionis solet esse septem dierum, ita ut absoluto septenario morbus repetat. Sed inter unum et alterum quandoque quiescentia aliqua intercedit. Vesiculae partitis vicibus desquamantur, sed earum non paucae subsident, et evanescunt occasione singularum eruptionum. Haec desquamatio non impedit reditum novae eruptionis, atque vidi per tredecim, et quindecim vices, atque etiam ultra hunc numerum ejusmodi eruptiones renovatas fuisse. Universim autem morbi curriculum saepe ad plures menses protrahitur, atque si aeger diuturnitatis morbi pertaesus velit sudores dispellere, aut Medicus eccoproticis materiam ad alvum deducere, statim gravia mala adveniunt a veneno internas partes lacessente, quae vitae periculum afferunt, adeo ut et ipsi aegri malo experimentorum exitu edocti patienter longitudinem morbi sustinere decernant. Ex iis autem omnibus, quae ob-

servavi, deducere licet non nisi per plures repetitas eruptiones materiam vitiosi humoris posse exhauriri, materiam vesicularum per desquamationem secedere; illam autem, quae maculas aut cutis ruborem facit, non nisi per viscidum sudorem eliminari, nullumque mihi innotescere exanthematis genus, quod adeo varia ratione procedat, tamdiu trahatur, et difficilioris extirpationis sit.

Sudorum magna inaequalitas est, atque eosdem urgeri video, quando vitiosus humor per cutanea vasa movetur, atque secus ac in miliari legitimo morbo magnam saepius visciditatem ostendere, atque peculiarem suum odorem, aut singularem illam, quae memorata est, odoris compositionem servare.

Pulsus etiam magna est differentia, prout uberior est et solutior, aut parcior et viscida lympha irretita miliarium veneni materia, atque suam majorem, aut minorem symbolam confert; vitium illud, quod maculas facit, aut cutis ruborem ad peticulare principium ex mea opinione referendum. Pulsus igitur pro vario tempore morbi, variaque principiorum compositione magnam habent varietatem.

In prima morbi explicatione sunt parvi, demissi, atque una contracti, saepe etiam

intermittentes, aliquam tamen mutationem habentes ab eo morbo, cujus primam imaginem habent, aut cum quo conjunguntur. Properante autem morbo sollicitati fiunt, fluido-subelongati redduntur, quando vitiosus humor praeterfluit, et reducentia vasa subit, ut in membrana adiposa conquiescat, aut intra sanguinem resorbeatur. Suspensi demum, parum frequentes, neque citati, cum pustulae exarescunt.

Urinarum similiter in hujusce morbi periodo magna differentia est. Miliarium venenum cutim feriens urinas tenues et decolores reddit, sed quae fila, aut minutas squamulas exhibeant. Dum naturae actio lympham difficiliter transeuntem urget et atterit, pulverulentae apparent, aut instar seri lactis turbatae, ut sub majori spasmo nebulosae sunt cum tenui, et diffusa alba nubecula minime aut raro subsidente. Si post affrictum vasa magis patula reddantur, albescentes quidem sunt; sed cum majoribus squamis, et veluti lamellis innatantibus, quae etiam fundum petunt. Si cerebrum malignus humor afficiat ita, ut tenuem lympham vasorum cerebri veluti abradat, et in circuitum urgeat, urina tenuis est cum spuma albicante ordinario decolor, sed et flavescens, aut etiam

subrubescens, si bilis adjuncta sit, aut ita materia morbifica agat, ut magnus fiat etiam cum sanguinis globulis affrictus.

Quando vero per diutinum affrictum globulorum sanguinis materia morbifica intime lympham solvit, et globulorum compagem disjungit, abeunte suis vinculis soluto vitali principio, sanguis gangraenose resolvitur, pulsus demissus fit, urinae parcae et turbatae minguntur obscuri coloris, et ex lypothimia aegri moriuntur. Eo tempore autem, quo ex minimis vasis cutis praeterfluit vitiosus humor in membranam adiposam propter spasmum nervorum cutis, tenues urinae sunt, sed subvirescentes, oleo olivarum non absimiles, ut puto, verisimiliter ex bile, quae plerumque in hoc morbo commota est, particulis aliquam adipis substantiam secum abripientibus; sic videmus, ut notum est, bilem flavam cum oleo virescere. Nullum certe morbi genus est, in quo tanta occurrat, tamque varia pro ratione circumstantiarum, morbique compositionis urinarum* differentia, et permutatio. Constantior autem urinae conditio est urinae albescentis, turbatumque serum lactis referentis.

* Plura quae ad urinam pertinent sat firme exposita sunt eo capite, quod prognosim continet.

Nisi numerosae sint vesiculae miliares, aut ex alia caussa adjuncta, ut bile phlogistica, vel sanguinis densitate gravior morbus reddatur, gravisque aliquis error commissus sit, quo subito malignus humor deprimatur, in morbi acutie aegri non moriuntur. Cum autem pereunt, ex convulsionibus utique, sed praesertim ex lypothimia pereunt cum spasmo pulmonum et vix aut breviter delirant.

Plerumque morbi acuti vehementia superatur, sed, uti diximus, plures se se mutuo subsequuntur exanthematum repetitiones continuo minores, cum cuticulae desquamatione et pustulis majoribus in dura granula nigra siccescentibus, donec aegri, quod quidem lentissime fit, convalescant. Ad pleniorem autem liberationem requiritur, ut pustulae majores varorum similes adveniant, atque sudores recurrant, quos aegri patienter ferant, et denique aestivis mensibus tum forti exercitio, tum balneis omnes morbi reliquias extrahere satagant. Ea enim est hujusce morbi natura, ut omnis morbi fomes difficile extirpetur, nisi summa constantia opportunis auxiliis contra morbi superstites reliquias pugnet aeger. Qui vero patienter convenienti regimini se subjecerunt, quamvis aliquando remaneat adhuc

materiae morbificae aliqua portio, diu a morbi recursu immunes extiterunt, atque apparenter sat bonam valetudinem ducunt, minoremque, si post aliquot annos recidant, gravitatem morbi experiuntur. Qui vero cito se se expedire cupiunt, et quae facienda sunt negligunt, post breve intervallum iterum lecto affiguntur, ut simile curriculum peragant, aut in ea incommoda incidunt, quae ad tertium stadium pertinent, in quem statum ii etiam conjiciuntur, qui sub actione naturae exanthematicam eruptionem molientis pauca, aut nulla exanthemata habuerunt, propter cutis densitatem, aut adversum regimen. Similem etiam sortem obeunt illi, qui morbo mitiori existente pauca exanthemata habentes eadem neglexerunt, sed in hisce longe lentius tertii stadii curriculum procedit variis apparentis bonae valetudinis intervallis *. Securius autem documentum bene superati morbi dabunt elatio pulsus sinistri, et recessus illorum phoenomenorum, quae pulsus et auris sinistrae mutationem comitantur, aut consequuntur.

* Cum hic morbus exanthematicus pertineat ad complicationem miliarium cum peticulis Lector consulat ea quae in tractatione de miliarium origine etc. ibi tradita sunt.

Materiam morbificam intra corpus retentam innumera fere mala sequuntur, quae non modo proficiscuntur ex stimulo ejusdem materiae varie applicito, sed ex iis diversorum humorum perversionibus, ex quarum caussarum compositione tum morbi universales, tum morbi locales multiplices producuntur. Ii autem, atque innumeri morbosi effectus licet saepius exanthematicum morbum male judicatum, aut irritum naturae eruptionem tentantis conatum subsequuntur, tamen et interdum clanculum, nimirum sine evidenti secundi stadii curriculo ad tertium aegri deducuntur. Observatur autem etiam quosdam morbos, et quaedam symptomata omni fere stadio communia esse, quaedam autem aut a secundo, aut tertio stadio potius proferri.

Primum exponemus, quae succedant ex cute obturata, et reliquiis materiae morbificae in ipsa cute haerentibus. Ex muco viscidiore reddito et cuticula firmior fit, et sensim perspiratio adimitur. Cum autem vis alliciens cutis infirmetur, debilior redditur circuitus sanguinis, cogiturque natura potius intus sanguinem accumulare. Hinc in corporis exercitio anxietas, hinc

tusses, cephalalgiae, frigoris intolerantia, lassitudo, ad motum debilitas etc. Stimulus nervis cutis applicitus per nervorum consensum varios spasmodicos effectus gignit, de quibus suo loco sermo erit. Crassum autem perspirabile retentum, et resorpta materia morbifica, necessario debent plurima mala producere, quae modo fugacia, modo firma sunt. Bilis etiam vitiosa reddita suam simbolam confert sive in ipsis viis bilis, sive intra sanguinem recepta.

Ex hisce omnibus secundariis caussis fit, ut multiplices morbi proficiscantur, ex quorum incremento denique mors venit. Frequentiora autem mala, quae vitae finem imponunt, sunt sequentia, phtysis, dispnoea suffocativa, syncope, apoplexia, gastritis, enteritis, hydrops, alvi fluxus, atque destructio sanguinis, aut partis alicujus gangraenosae. Singillatim autem haec nolo hic loci persequi, cum ea satis accurate recenseantur praesertim in expositione morborum localium, disquisitione symptomatum, et phoenomenorum; atque etiam expendantur ea occasione, qua inquirimus in caussam proximam morbi, ejusque agendi rationem, atque morbi finem.

CAPUT III.

DESCRIPTIO MORBORUM PARTICULARIUM.

MORBI CAPITIS, ET COLLI.

Vertigo.

Vertigo nascitur praesertim ex plethora vasorum capitis, atque ea per motum quemcumque capitis, maximeque per ejus demissionem adeo interdum augetur, ut visionem momento temporis tollat, mortis metum afferat, et aegri se animo delinquere sentiant: sed vertiginem ex situ horizontali in lecto tollit statim positio trunci erecta.

Vertigo autem ex solo stimulo quandoque dependet, sequiturque translationem miasmatis, quod ex alia parte instar fumi caput impetens statim vertiginem procreat.

Inter vertiginis primam accessionem, et aliorum phoenomenorum apparitionem notabile tempus etiam unius anni, aut etiam diuturnius intercedit, atque de nullo in-

commodo aeger queritur. Redeunt deinde novi insultus frequentiores, atque morbus se se explicat. Ceterum vertiginem saepissime consequitur prompte pulsus in sinistro latere mutatio.

Vertiginem paullo vehementiorem comitari solet vomitus. Quae morbum inchoat vertigo fugax esse solet, quae vero in tertio, quartove stadio advenit diu etiam vexare solet, neque caput demittere aegri possunt sine quadam gravi mentis perturbatione, et visionis diminutione, quandoque etiam scothomia.

Artuum imbecillitas facile sequitur vertiginem, atque nostri aegri non de objectorum ante oculos rotatione; sed de quadam corporis instabilitate, et se regendi impotentia conqueruntur, immo tamquam ebrii postice cadunt: cum aurium sonitu et susurro, si paullo fortior vertigo fuerit.

Cephalalgia.

Frequens morbus est cephalalgia in hac aegritudine, eaque evenit in omni stadio morbi, minus tamen frequens in quarto.

In primo stadio nunc sine ordine, nunc periodice revertitur; anterius solet caput dolere dolore distensivo, et gravativo etiam vehementi, qui ex integro abit post unam,

aut alteram diem; aliquando alteram tantum partem capitis afficit, atque frequentius dexteram, et hemicraniam aemulatur. In vehementiori cephalalgia etiam vomendi aliquis conatus adest, atque animi, ut dicunt, languor; pulsus non est elatus, et ad magnum accedens, sive, ut ajunt, capitalis; sed potius brevis, minus elatus, et contractus, non frequens: dolor capitis a parte anteriori ad occiput etiam transit finiens per aliquam spinae dorsi rigiditatem, aut lumborum dolorem. In hac cephalalgia intus caput dolet, non extus, nisi una adsit lymphae, ut ajunt, conditio rheumatica, in quo casu cutis capitis contrectata dolet.

Ad tempora autem cum quadam lancinatione capitis dolor est in iis, quibus bilis una agens ad caput rapta est.

Cephalalgia aliquando in hoc morbo periodica est instar febrium intermittentium: tunc autem circumscripte pars quaedam capitis dolore torquetur immani mentem etiam submovente; sed in eo situ, qui doluit, caput contrectationem aegre fert. Matutinis horis venit, post meridiem mitigatur, febris utique aliqua, sed obscura adjungitur; pulsu primum contracto et tardo, sed qui frequentior redditur. Dolore declinante hujusmodi cephalalgia

nonnulla habet communia cum iis, quae observantur in febribus intermittentibus, sed in hac constantius urinae tenues, et aqueae sunt. Haec caephalalgia solvitur apparente extus in capite rubore, sive erysipelatis specie, aut diffusa intra sanguinem materia morbifica, quae tunc febrem continuam excitat sudores et exanthemata suo tempore proferens.

Si malo regimine vitiosa materia intra caput coërceatur, phrenitidis speciem, aut maniam, aut paralysim progignit.

Cephalalgia etiam tamquam simplex plethora facile nascitur in iis, qui morbi fomitem latentem habent, aut ab eodem jam explicito exercentur, si solis radiis se exponant, si vehementer et repente corpus moveant, si capite demisso truncum inflectant, si consueta aliqua sanguinis evacuatio minus ex ordine fluxerit.

Ii, quibus venenum per attritum quemdam sanguinis cum bile in vaporem veluti redactum est, atque sub aurae celestis specie corpus pervadens ex inferioribus partibus ad caput fertur, perraro ex hoc raptu capite dolent, sed potius aut in magnam perturbationem capitis, vertiginem, aut etiam apoplexiam deducuntur, nisi jam extiterit plethora capitis, aut sanguis adhuc coactam naturam habuerit,

tunc enim temporis solet plerumque potius nimia fluiditate peccare.

Caussa igitur frequentior caephalalgiae posita est in majori sanguinis densitate, et vasorum plethora. Lympha etiam paullo densior hujusmodi venenum retinens caephalalgiae caussa est, et quo magis praevalet miliarium miasma, eo fortius caephalalgia vexat, etiam cum sensu cujusdam divulsionis, et lacerationis. Verum si major extiterit quantitas peticularis principii, atque sanguinis cohaesio infirmata fuerit, aegri non dolore capitis, sed sopore premuntur.

Urinae variae sunt, prout varia est positio, et actio materiae morbificae, ejusque compositio, aqueae nimirum, turbatae, eaeque aut pallescentes, aut subrubrae. Urina quae tenuis est, leviterque flavescens, cum spuma albicante diu permanente in matula, malignum miasma sanguini inhaerens in cerebro latere significat.

Morbi convulsivi in genere.

In legitimo miliari morbo et vehementiores, et frequentiores esse solent morbi convulsivi, sed et in hac aegritudine magna etiam est convulsionum varii generis

frequentia, et varietas sive in morbo acuto, sive in morbo chronico, eaque saepe cum magna phoenomenorum permutatione conjuncta; immo id peculiare contingit, ut morbi ipsi, qui ad atoniam, sive nervorum resolutionem pertinere videntur, non sint sine aliqua conditione convulsiva fibrarum, atque saepe saepius ambigant inter paralysim, et convulsionem.

Cum materia morbifica hujusce morbi soleat praesertim nervos afficere, maximusque sit nervorum mutuus consensus, jam patebit tum quanta esse debeat convulsionum diversitas, cum etiam quam difficile sit motuum spasmodicorum caussas immediatas assignare, et constituere. Duplex interim primarium genus convulsionum esse video, unum earum, quae a stimulo extremis nervis applicito oriuntur, alterum vero illarum, quae a stimulo originem nervorum irritante proficiscuntur. Hisce duobus tertium addi potest illarum, quarum caussa posita est in stimulo non applicito ultimis filamentis, et papillis nervorum, sed eorum ramis, aut ramulis, sive melius dixerim, ipsis nervis, aut per consensum ex aliorum nervorum irritatione proficiscuntur. Sed quae ad rem nostram faciunt convulsiones expostulant considerationem praesertim originis, atque extre-

morum nervorum in papillas abeuntium.

Caussam investigans convulsionum, quae tam cito perdunt homines in miliari morbo (*tract. de miliar.* §. 197.) post accuratam phoenomenorum indaginem in eam sententiam deductus sum, qua existimarem, eas tribuendas esse miliarium veneno papillas cutaneas nervorum male afficienti: posteriores autem, quas triginta et ultra annorum curriculo observationes institui, meam sententiam perpetuo confirmarunt. Ulteriora vero momenta rationis similiter judicandi suppeditat haec species purpurae quando miliares pustulae chronico modo tenaciter sub cuticula vix eam elevantes persistunt. Hujusmodi exanthemata in dorso, pectore, et brachiis aut visibilia, aut tactu distinguenda, modo distinctas minutissimas pellucidas vesiculas exhibent contraria luce videndas, quae quando pungunt elatiores fiunt; modo scabritiem aliquam cutis tantummodo praeseferunt vesiculis nullis apparentibus: de caetero urinae aqueae, aut pallidae, aut copiosae, stuporis pungitivi in digitis recurrens sensatio, acidum interdum olens perspiratio, morbus miliarium, qui praecessit male judicatus luculenter ostendunt eas pustulas, sive vesiculas ad reliquias superstitis veneni pertinere. In eo autem

statu morbi spasmodici multum aegros torquent, loci impatientes sunt, et eos subitanei motus membrorum, qui noctu frequentiores sunt, fatigant. Ex minimo strepitu animo commoventur, et pavent, promptaque est cordis, aut coeliacae arteriae palpitatio; aures sonant, et a quovis strepitu laeduntur: de oculorum recurrenti immobilitate conqueruntur; his accedunt sensus quidam plenitudinis in capite mentem submoventis cum subitanea artuum imbecillitate, etiam ad momenta balbutiunt, atque artus fugacibus motibus convulsivis concutiuntur. Musculi etiam colli varie rigiduli fiunt; mens tamen constare solet. Hisce aegris aër siccus multum infensus est: a corporis exercitio, et frictionibus sublevantur, si praesertim aliqua perspiratio succedat. Si pustulae asperitudinem faciant, et sint, ut dicitur, subcutaneae, tepida balnea prosunt.

Hae convulsiones ex nervorum cutis stimulo proficiscuntur, atque pustulis in squammas secedentibus mitescunt, et superantur: certum est ex hoc nervorum cutis stimulo, et alios nervos in consensum trahi, et signatim caput sanguine repleri: dicendum ne erit, constrictis, et lacessitis nervorum extremitatibus, obicem poni actioni arteriarum sanguinem ad

cutim vehentium, et uberius in partibus internis capitis colligi, aut per vitiatam nervorum cutaneorum actionem, nervos etiam praesertim vitales in consensum morbi trahi? Actio veneni papillas cutaneas stimulantis agit ne tantummodo adigendo in contractionem telam cellulosam, quae nervos vestit, aut substantiae nervorum vulnus infligit, quod ejusdem operationem, quaecumque illa fuerit, impedit, aut delet? Haec, quae obscurae indaginis intelligo, aliis sagacioribus Viris explananda relinquo *.

Porro cum tantus sit nervorum cutis cum variis humani corporis partibus, et signatim cum stomacho, et intestinis consensus, sive per communicationem oscillationis id fiat, sive per veram etiam subtilissimae materiae ex cute ad stomachum, et intestina transmissionem; stomachus ab his motibus spasmodicis ex cute natis in consortium morbi trahitur, atque non modo constrictio ad scrobiculum, sed et vehemens dolor stomachi nascitur cum sensu lypothimiae, quae symptomata multum per asperas frictiones diminuuntur, atque illas cardiacas potiones, quae valent

* Hae. convulsiones diutissime torquent, quin vitam adimant, et hoc minus periculum tribuo majori visciditati muci papillas cutaneas obtegentis.

motum humorum ad periphaeriam promovere.

Alterum convulsionum genus oritur in hoc morbo ex stimulo fibris medullaribus cerebri, aut nervis ipsis cerebralibus, aut spinali medullae illato, incredibili phoenomenorum, ut planum est, varietate, atque multorum morborum generatione, pro varia portione medullae cerebri, aut diversitate nervorum irritatorum, atque pro varia materiae morbificae compositione. Quo enim major existit portio miliarium miasmatis, majores, et ferociores convulsiones sunt, atque vehementius delirant aegri, quando mitescunt convulsiones.

Multum autem tunc temporis ferociam, et vehementiam morbi adauget bilis, quae una juncta sit; verum si praevaleat peticularum venenum, identidem soporosi aegri sunt, tristes, et pavidi, multoque minus fortibus convulsionibus agitantur. In hisce autem ex cerebro convulsionibus mens etiam interdum persistit, abdomen non tenditur, bolus, ut dicitur, histericus deest ad jugulum, aegrotantes primum conqueruntur de dolore capitis, quem a syncipite ad occiput progredi affirmant cum sensu cujusdam magnae vellicationis, atque internae in cerebro abrasionis: col-

lum riget, deinde et brachia varia ratione convelluntur, artus etiam subsiliunt, remittente paroxismo de dolore capitis, atque stomachi queruntur, musculi faciei inordinate se movent.

Aliquando haec accessio brevis est, alias diutina, et post caephalalgiam, et sensum variae distensionis musculorum faciei, et colli in dolorem stomachi vehementem incidunt.

Frequenter autem haec incommoda in dolorem lumborum mutantur, atque hunc consequitur sensus pruritus ad anum, et scrotum cum quadam impetiginis specie, stimulo ad venerem, et pollutionum frequentia: pungentium autem vesicularum adventus ad scrotum, proximasque partes magnum levamen affert. In foeminis autem leuchorroea pruriens, et ardens advenit, quae similiter prima incommoda aufert. Sed non raro visum est hujusmodi leuchorroeam subito cessantem excepisse statim febrim, quae purpurae miliaris exanthemata protulit cum omnium praecedentium morborum abolitione. Ex hisce autem observationibus colligo primum materiam morbificam ad cerebrum transferri, deinde per telam cellulosam medullam spinalem, et nervorum ab ea profectorum propagines subire, atque ad eorumdem

extremitates urgeri. Hae dum eveniunt, vix ulla, aut nulla febris est, verum si materia a sanguine resorpta ad minima vasa, et lymphatica feratur, praesertim ad vasa cutanea, statim et febris urget, et adaugetur.

Si materia morbifica interiorem medullam cerebri pervadat, et exstimulet, modo delirium, modo epilepsia, motusque varii convulsivi cum mentis alienatione gignuntur, quorum morborum diversitas erit fortasse repetenda a diversitate medullae cerebri variis locis, atque varia profunditate diversimode affectae. Observo autem nostra in aegritudine cum plethora quadam capitis frequentius hosce morbos conjungi.

Tanta vero quae nostris temporibus occurrit morborum vere spasmodicorum, aut ad spasmum relatorum * frequentia, mea quidem sententia ab hac labe, quae multum diffusa est, repetenda esse videtur, atque diversitas phoenomenorum oritur a varietate locorum, quae venenum afficit,

* Cum hoc venenum magnam fugacitatem interdum habeat, atque effectus varios gignat, licet ad spasmum revera redigi non possint propter eorum fugacitatem, atque phoenomenorum permutationem, etiam haberi solent pro morbis spasmodicis ita, ut omne fere morbi genus pro spasmo vulgo *contrazioni* a quibusdam habeatur.

eo vel maxime quod talis sit morbi indoles, ut partem, quam prehendit, diu tenere possit, atque mihi accidit pluries observare diu durantem passionem hypocondriacam, quae obortis in ambitu corporis doloribus et sensus stuporis pungitivi in digitis per annum integrum conquievit; sed doloribus resolutis excitata febris est, quae purpurae miliaris exanthemata dedit *.

Haec autem symptomata convulsifica pertinent frequenter ad malignum miasma, quod tenet, aut impetit stomachum, moram, ut puto, plerumque habens in membrana externa ventriculi, in qua modo de more suo conticescit, modo ad stimulandum concitatur, nunc unam nunc alteram partem feriens, atque ad internas etiam stomachi membranas adactum. Haec morbi conditio varietatem phoenomenorum exhibet, et nunquam fere non est sine recurrente flatulenta stomachi distensione, morbum proprie constituens ad affectionem hypocondriacam relatum **.

* In homine affectione hypocondriaca laborante cum magno cruciatu, post sensum cujusdam flammae ad exteriora properantis identidem pustulae miliaris ad scrobiculum cordis, atque illae hypocondriasis phoenomenis silentium imponebant.

** In hoc casu purpurae miliaris venenum passionem hypocondriacam mentitur, et facit; sed mea quidem

Uterus autem maxime opportunus est ad hoc miasma retinendum, cum in cellulosa, mollique uteri substantia facile conticescat, a motu autem animi paullo vehementiori, praesertim tristitia, et ira, aut etiam ex vexante stimulo veneris, uti etiam ab actione sanguinis, qui debeat mensium tempore prorumpere, caussa nascitur motuum spasmodicorum, qui passionis hystericae symptomata exhibent; multoties autem observavi foeminas post miliarem morbum non bene judicatum, sed in quo evidenter pustulis subsidentibus, et disparentibus resorpta fuerat maligna materia, atque ad uterum delata, in hujusmodi calamitosam convulsionum frequentiam incidisse, a qua liberavit oborta febris exanthematica cum uberi purpurae miliaris exanthematum eruptione.

Quaedam ultimo dicam de quibusdam motibus spasmodicis, atque convulsionibus, non quidem vehementibus, sed valde molestis ex cerebri stimulo natis, quibus patent masculi, et foeminae, quin tamen adsit affectio hypocondriaca, et hysterica.

sententia passio hypocondriaca non modo per nervorum vitalium in quemdam spasmum adactorum stimulum a caussa extra stomachum posita producitur; verum etiam ab alia acrimonia in stomacho haerente atque eumdem immediate stimulante.

Superatam, neque tamen bene judicatam purpurae miliaris aegritudinem consequuntur ea praesertim occasione, qua per affrictum, et miasmatis peticularum actionem, sanguis, et humores magnam solutionem passi sunt, ex qua fit, ut acres miasmatis particulae minora lymphatica vasa cerebri facilius subeant, atque sine phlogistica humorum conditione cerebrum, atque nervos exstimulent. Sine mentis sublatione aures varie sonant, difficilis somnus est, et abruptus, urinae minguntur tenues et aquosae, etiam spumosae, vertigo repetit cum recurrenti momentanea artuum debilitate, interdum sine caussa advenit tremor cordis, aut palpitatio, frequentes spasmodicae constrictiones, ad cordis scrobiculum, etiam dispnoeam faciunt cum lypothimia, musculi faciei convelluntur, atque inordinate tristes, et meticulosi animum abjiciunt, neque ad ullas lucubrationes mentem figere queunt. Non modo autem animo linquuntur, sed balbutientes fatalem apoplexiae, aut syncopis convulsivae accessionem pertimescunt; quae non advenit nisi agatur de homine pleno, et cujus sanguis densitate, et visciditate peccaverit, sed hoc in casu majori firmitate effectuum morbus progreditur, neque simi-

lem habet celeriter variantium phoeno-menorum vicissitudinem.

Catalepsis.

Catalepsim videndi occasionem habui, et hanc aegritudinem etiam pluries recurrentem vidi in filia 25. annorum, quae per exanthemata in febre continua postmodum erumpentia non quidem ex integro, sed notabiliter convaluit, ita ut licet aliqua adhuc incommoda habeat, non amplius deinceps cataleptica facta est. Accessio inopinato veniens, et mentem adimens consueverat perdurare per horam unam, aut alteram. Sine ullo motu convulsivo, nullaque sive ad uterum, sive ad jugulum inflatione, collique rigiditate: dormienti similis erat, palpebris conniventibus, atque diductis nihil omnino videbat, pupilla prorsus immobili non turbida, leniter et commode respirabat. Artus non rigebant, neque flaccidi erant, pulsu oblongo, elato, tardo, majori, quam in statu naturali: brachia et collum, truncus etiam in ea positione, in qua collocabantur, permanebant, palpebrae diductae persistebant. Color faciei qualis ex consuetudine, nullum sensus signum dabat: magna et frequens respiratio jam accessionis solutionem prae-

nunciabat; tunc collum, atque artus superiores rigebant ut in tetano, deinde motibus spasmodicis alternis concutiebantur, sine ulla circum os spuma, palpebras attollebat, et incompta aliqua loquebatur, et de capitis intenso dolore postea conquerebatur, uti etiam de magna corporis universi lassitudine. Febris deinde excitabatur cum pulsu celeri, et contracto, non tamen resistente; quae per plures horas perdurabat. De caetero conditio pulsus diversis temporibus explorata, atque status aegrae, quae parum alimenti a diutino tempore assumebat, ostendebant sanguinis in eo tempore fluentis copiam exiguam potius fuisse, atque tenuis consistentiae.

Puto hanc catalepsim pertinere ad tetani speciem medullae interioris cerebri illatam a maligno miasmate instar fumi cerebrum pervadente, et medullam peculiari modo stimulante.

Dicendum igitur erit malignum hoc miasma sine plethora, et distensione vasorum, cerebri meditullium afficiens catalepsim facere; tetanum autem inferre ad medullam oblongatam, et spinalem perveniens, eo quod aequali, constantique actione fibras medullares primum exstimulet, deinde progrediente, et recurrente stimulo medullam oblongatam, atque spi-

nalem irritet; ad extremitates autem nervorum perveniens, minimisque vasis resorptum febrim producit. Plethora autem capitis, ex qua alia mala consequerentur, in hoc casu non fit propter sanguinis tenuitatem *.

Epilepsia.

Iis in aegrotis, quos epilepticos observavi cum signis morbi pathognomonicis, atque iis successionibus, quae epilepsiam ab hac communi caussa profectam ostendebant, sequentia adnotavi.

Epilepsia haec noctu plerumque post somnum corripit, primum dissitis intervallis, ut circa aequinoctium, deinde frequentius advenit, saepius crescente luna, et prope plenilunium, frequentior hyeme, quam aestate. Accessiones autem continuo frequentiores redduntur. Perraro momento temporis mentem tollit; sed aegri insultum

* Similes casus, sed cum aliqua membrorum rigiditate conjunctos in nostro morbo observavi. Hujusmodi aegri apoplecticis similes erant, sed sine stertore, accessione durante per unam quartam partem horae; aut per dimidiam, et dum morbus solvebatur, per aliquod tempus delirarunt, et postmodum excitata febris est: apoplexiae fugacis imaginem omnino exhibuerunt. De caetero hi aegrotantes nihil omnino recordantur, neque in accessione ullum indicium sensus dederunt, atque de repente morbus invasit, quandoque saepius post sensationem cujusdam vaporis ad caput ascendentis.

advertunt et monent, veluti terrefacti lecto subsiliunt, et ejulatus quosdam, ac clamores inter prima phoenomena morbi excitant; primum interdum tetano brachia extenduntur, deinde etiam de more morbi convelluntur, cum saliva spumosa circum os collecta, aut eadem non spumosa de ore elabente, alias minime: quandoque mentem integram servant, sed loqui nequeunt. Furiosi, et iracundi sunt, et aliqui sub proxima morbi accessione, magna celeritate, magnoque impetu cursitant rabiosi, atque deinde alias epileptici in posteriora cadunt. De caetero, qui hilares, et expediti ad motum olim erant inordinate tristes, et melancholici evadunt. Declinante accessione, et post accessionem a minimo strepitu terrentur: post accessionem de dolore capitis conqueri solent, atque semper multum famelici esse consueverunt.

Urinas mingunt coloratas, sed tenues cum spuma tenaci albicante, atque dum solvitur accessio febris aliqua per plures horas persistit cum pulsu contracto, sine ullo sudore, sed hujusmodi aegri parum aut nihil etiam aestivis mensibus sudant.

Iis autem et vere, et aestivis mensibus in facie, aut dorso manus, fugaces maculae rubrae non raro adveniunt, quibus persistentibus, melius se habent.

Stupidi denique redduntur cum virium imbecillitate, etiam desipientes, atque apoplexia convulsiva eos denique interimit.

Epilepsiam hanc vidi evidenter contagiosam, et ab uno in alium in eodem lecto decumbentem transmissam, quin terroris effectui tribui morbus posset in eo, qui sanus erat et morbum contraxerat.

Vesaniae.

Rarum non est in morbo sive acuto, sive chronico in mentis alienationem aegros venire, cujus gradus multiplex est, atque magna inconstantia et varietate procedit ita, ut aegri ab uno statu in alium transeant, atque tristitia in maniam etiam mutetur, aut sine tristitia desipiant, aut varia ratione melancholici solitudinem quaerant, et ex minima caussa paveant, aut animo dejiciantur, et mortem imminentem reformident. Haec vesania cujuscumque naturae fuerit, tractu temporis non raro infirmatur ita, ut etiam dispareat. Acuta et cum furore conjuncta advenire consuevit initio, sive progressu morbi exanthematici, si praesertim bilis acris et aestuans conjuncta sit: ii nimirum, qui jam ab aliquo tempore fomitem morbi intus habent, dum ille commove-

tur, facile in maniam incidunt si cutis pervia non sit; ea vero subito, et cum impetu aggreditur. Si jam exanthemata bene apparuerint, eaque negligantur, facile maniaci evadunt.

Purgans medicamentum eo tempore exhibitum, quo natura jam exanthemata propellebat sublatis sudoribus, et exanthematibus, aliquando maniam intulit. Urinae tunc temporis parcae esse solent, et bilioso-nebulosae. Febris semper aliqua tenet, quae obscurior est urgente mania, atque remittente evidentior: tendines identidem subsiliunt; urinae autem crescente febre diluuntur, et copiosiores fiunt. Furiose delirantes secundum aliquem usum rationis respondent, sed incredibili garrulitate verba cum sensu incomposito proferunt.

Qui tantum melancholici sunt, aut desipientes, interdum nullum motum febrilem offerunt, sed pulsus semper parvus, aut cum contractione et tarditate demissus est, atque urinae a naturali statu recedentes sunt saepius limpidae, interdum turbatae, aut cum persistente aliqua nebula. Imbecilli etiam sunt, neque ad motum expediti. Eos identidem aggreditur febris aliqua, atque post diutinam moestitiam in morbum acutum, aut subacu-

tum incidunt, quo natura morbi proprium characterem magis pandit.

Tristitia in hoc morbo magna inaequalitate, et temporis vario intervallo urget et repetit. Sunt qui exeunte vere, et elabente autumno tristes, et melancholici evadunt, taciturni, et una alterave sanguinis missione sublevantur. Alii alternis diebus tristes fuerunt, aut etiam eadem die tristes, et cum garrulitate hilares.

In desipientiam nonnulli inciderunt impetigine manus evanescente, sed ea iterum revocata mentem recuperarunt.

Pluries hujusmodi aegris utilis extitit febris intermittens, quarum accessiones repetitae, non modo sudores, sed et exanthemata protulerunt, quorum adventus mentem reddidit, et plena exanthematum crisis salutem restituit.

In quarto stadio ordinato quodam gradu, et morbi incremento, abolita fere memoria, ad desipientiam quamdam, et fatuitatem etiam aegri deducuntur. Primum quidem mente adhuc, et ratiocinio valentes in promptu ideas, quas comparent, aut quas vellent habere nequeunt, atque identidem aliena nec cohaerentia verba proferunt. Sensim autem facultas ideas comparandi, atque idearum productio infirmatur, et veluti deficit, ita ut paucas

omnino ideas sibi cohaerentes comparare, et ex voluntate significare possint, sed aliena loquantur, atque vere singulari modo desipiant, atque ad fatuitatem etiam ultimo deducantur.

Haec phoenomena omnino proficiscuntur ex materia morbifica fibras medullares cerebri ita afficiente, ut cum quodam spasmo eaedem infirmentur, neque fibra medullaris eo in statu obsequiosa fit animae agenti, atque ex motu interno fibrarum ideae alienae in anima imprimantur.

Uterque autem hic status ad delirium, maniam, desipientiam, fatuitatem, etc. aegrum ducit, prout variae portiones medullae cerebri, diversoque modo aut infirmantur, aut stimulantur. Varia autem sequi necessario debent, prout aut illae fibrae affectae sunt, quae imaginationi, et objectorum picturae respondent, aut illae quibus inest memoria idearum ab externis corporibus receptarum, aut illae, quibus ideae propius ad animam pertinentes ex aliarum idearum comparatione, et animae actione proficiscentes olim insculptae nascuntur, atque idcirco mirum in modum aut anima a corpore imperante movetur, aut quidam motus nervorum animae obsequiosi non sunt.

Haec autem omnia oriuntur a fibris medullaribus stimulo percitis, aut infirmatis. In genere video memoriam praesertim recens perceptarum idearum firmam non esse, eamque obliterari progrediente morbo, atque animae facultatem, qua ideas comparat, et ratiocinatur, diminui, et labefactari.

Vehementia denique, aut illa perturbatio, qua diversae fibrae medullares cerebri a materia morbifica moventur et exstimulantur, caussam constituunt delirii vehementioris, et maniae; atque puto in mania eam portionem medullae cerebri potius laedi, in qua proximius anima sedet, atque ministerio fibrarum proprias operationes exercet; puto autem in delirio majorem partem cerebri affectam esse, illamque etiam, quae ideas ab externis sensibus ad animam defert.

Cum autem ab aliis partibus, uti stomacho, diaphragmate, oesophago, partibus genitalibus etc., etiam sensationes quaedam ad animam perveniant, planum est stimulum hisce partibus applicitum, posse ea vehementia animum ipsum percellere, ut delirium, aut gravia animi pathemata, aliaeque sensationes suis organis respondentes in anima excitentur.

Odonthalgia.

Tum in primo, cum in secundo, et tertio stadio frequens morbus est odonthalgia, atque etiam multum antea quam morbus se explicet, et secundum stadium inchoet, odonthalgia aegros vehementer afficit ita, ut inter prima morbi symptomata occurrere soleat.

Ea saepius eamdem partem torquet, in qua debilior pulsus est, atque ejusdem recursus nigra carie dentes corrumpit; ii vero, qui vitium hoc jam ab aliquo tempore tenent, dentes habent etiam in prima adolescentia corruptos sine ulla gingivarum labefactatione.

Nocturnis praesertim horis morbus ingravescit, et per aliquot horas vehementer vexat, deinde conquiescit sequenti die eadem circiter hora rediturus; neque etiam continuata actione ferit, sed per intervalla redit cum magna vehementia etiam aliquo spasmo, vel subsultu, reliquum corpus per consensum convellens, et aegrum veluti in furorem agens. Pars dolens aut parum, aut nihil intumescit: dolor autem per stimulantia, et spirituosa plurimum adaugetur.

Excitata febri dolor mitescit, atque nihil magis sudore sublevat. Odonthalgia

cessat interdum adveniente coryza, aut oculorum rubore, aut phlogosi in faucibus, aut tussi, aut pedum, tibiarumque dolore: etiam odonthalgia mutata est in febrem intermittentem, atque haec vicissim in odonthalgiam reversa est.

Odonthalgia igitur, perinde ac angina, dolor stomachi, aliique in variis locis evenientes dolores, cum aut sine ulla phlegmasia simili modo ab eadem communi caussa reguntur.

Apoplexia.

Apoplexia eos facilius corripit, quibus sanguis densus est. Sensum praesefert frequenter veluti cujusdam fumi caput petentis; hic vapor constringit, et convellit, gignitque subitaneam plethoram capitis, cum periculo mortis repentinae. Hanc morbi indolem ostendunt morbi successiones; nam ad alterutrum pedem saepe ad dexterum, liberato capite, atque translata materia, calor quidam persentitur in pede cum sensu puncturarum, et subsequente quadam intumescentia digitorum, alias dolores in tibiis nascuntur. Vidi etiam quamcitissime externum tibiae latus intumuisse cum aliquo dolore, super-

stite per aliquod tempus echymosis specie, et quadam dolente secus malleolum intumescentia. Ergo revera frequenter vapor est malignus caput petens.

Hic morbus oriri etiam videtur ex quadam plethora capitis sensim progenita verisimiliter ex constrictione venarum revehentium: certum est per motum corporis imminentem apoplexiam determinatam fuisse. Sic vir quinquagenarius repente concidit viribus sublatis, mente adhuc constanti, monuitque ne loco dimoveretur, anteaquam rebus suis providisset, quae cum praestitisset, loco dimotus, et lecto commissus statim in apoplexiam incidit.

Caussa etiam apoplexiae, quae certo frequens in hoc morbo est, repetenda est ex resistentia, quae fit ab arteriis debiliter agentibus, et peculiarem capitis plethoram afferentibus, qui malus exitus contingit potissimum in iis, qui torosi sunt, et densa cute praediti, habentque sanguinem densum, et crassum.

Aliquando etiam oritur apoplexia ex stimulo potissimum miliarium veneni nervos praecordiorum lacessente, et convellente, qui subito fere reditum sanguinis ex capite intercipit.

Apoplexia in hoc morbo plerumque non

omnem subito mentem adimit, licet aphonus aeger sit, et sinistri saepe lateris aliquam paralysim offerat. Ante insultum, aut eodem imminente facies plena, et quodam veluti rubore suffusa apparet, et aegri vomere solent. Febris insurgit cum pulsu tenso, et convulsivo, urinae tenues redduntur cum subsultibus, pulsuque in paralytica parte magis contracto. Mens interdum integra redit, sed morbus facile repetit etiam brevi intervallo. Prima accessio raro aegrum tollit, pars paralytica calet. Crescente febre semper adsunt sudores, iique in paralytica parte copiosiores: sensus licet minor, in affecta parte remanet. Violentis convulsionibus si morbus repetat, cito plerumque aegri jugulantur. Vidi aliquoties balbutiem, aphoniam, et paralysim alterius lateris per advenientes sudores, et pustulas paucarum horarum spatio ex integro superari.

Apoplexia vera est cum stertore, et runchiis. Incipit per balbutiem, et oris torturam, sed in hac apoplexia constanter adsunt motus convulsivi nunc vehementiores, nunc remissiores instar pandiculationis; si aphoni sunt aegri, et secundo die cessant sudores, advenit trismus mandibularum, difficilis deglutitio,

atque in altum soporem conjecti aegri post convulsiones varias pereunt *.

Quo fortius autem natura iteratis vicibus sudores sustinere conata est, eo longior est conflictus. Solum per constantes sudores, et exanthematum eruptionem advenit morbi victoria. Sudoris autem prompta cessatio citam mortem inducit.

Haec apoplexia in iis, quos primi impetus morbi non sustulerunt, etiam in veram deinde apoplexiam transiit, et aegri lente plurium dierum spatio suffocati mortem obeunt stertorosi, et cum sibilo.

Apoplexia haec et quidem fugax pluries repetit in quarto stadio; denique vehemens et lethalis; atque haec apoplexia in eodem aegro nunc epilepsiam, nunc tetanum, nunc delirium et desipientiam, nunc syncopem affert: idem nempe aeger in ejusdem morbi curriculo nunc epilepticus, nunc convulsionibus instar tetani, nunc vera apoplexia correptus fuit, et denique forti apoplexia convulsiva brevi extinctus.

Raro in paralysim abit, sed aut cito peccat, aut superatur; qui loquelam non

* Qui primis ab accessione diebus non sudarunt, uno alterove die ante mortem solent vehementer cum aucta febre sudare; sed sudor deinde intermittit, atque tunc cito soporosi facti a convulsionibus jugulautur.

recuperant, non servantur. Commemoranda etiam est apoplexia, quae in provecto morbo advenit disparente pedum tumore; ea curatur tibiarum in aqua calida immersione.

Paralysis.

Paralyseos morbus etiam nostris temporibus familiaris est, neque solum senes, sed et juvenes corripit nulli sexui parcens, atque fortasse in sequiori sexu frequentior: rarum non est puerperas in hanc calamitatem incidere neglectis sudoribus. Inopinato non solet aggredi, sed alia consequitur mala, quae latentem hanc labem significabant; saepius advenit sine praecedente apoplexiae insultu. Recurrit primum aliquis torpor cum stupore pungitivo in digitis manuum, quo crescente pars paralytica redditur.

Multum etiam ante adventum paralyseos brachium sinistrum de repente frigidum persentitur, sed hoc frigus cito etiam disparet. Brachium sinistrum saepius afficit, interdum sine cruris debilitatione; alias etiam crus infirmatur, sed perfectior semper est paralysis in brachio quam in crure.

Repercussa exanthemata facile consequitur hic morbus, atque mihi contigit videre mulierem, quae hanc aegritudinem bis passa est cum persistentibus adhuc in cute pustulis, licet febris expers se aëri libero exposuisset, momento fere temporis balbutiit, et paralytica brachii sinistri evasit cum cruris debilitatione. Frictionibus, et potione diaphoretica excitati sudores, qui iterum eruptionem aliquam attulerunt, intra paucas horas paralysim sustulerunt, subsequentibus deinde per aliquot dies febri, et sudoribus.

Frequens etiam haec calamitas est iis, quibus in febre tertiana complicata cum nostri morbi veneno caput impetente, et soporem inferente, animose datus est cortex peruvianus, qui utique febrem comprimit, sed nisi hominem interimat, paralysim gignit.

In hac paralysi raro sensus omnis aufertur, pars paralytica non propendet; tendines musculorum manum flectentes tensi persentiuntur, digiti etiam aliqui contracti aliquantum incurvantur; pulsus paralyticae partis brevior utique, sed contractus est etiam cum aliqua tensione; urinae sunt decolores, mens plerumque constat licet etiam aeger balbutiat. Si cito post hujusmodi infortunium febris excite-

tur, urinae turbatae, albescentes, aut aqueae redduntur: pulsus in paralytica parte citatus fit cum nisu contractionis: sudores excitantur, qui tractu temporis proprio odore naturam latentis veneni ostendunt, tunc pars paralytica dolet, et intumescit, tendines subsiliunt, accedunt aurium sussurri, atque se se explicat curriculum suum peractura febris exanthematica, quae affert purpuram cum pustulis, et vesiculis miliariis.

Febris, et reliqua symptomata sunt de more hujusce febris exanthematicae; illud tantum animadvertemus, sudores licet in universo corpore appareant, in paralytica parte uberiores esse, atque copiosiorem etiam esse in eadem parte exanthematum proventum.

Quod si paralytica pars talis diu persistat, identidem tamen post diutinum tempus, maximeque aestivis temporibus rubores fugaces, atque etiam vesiculae dispersae huc illuc in paralytica parte se offerre pergunt, donec aut vis naturae valens per se, aut remediis adjuta opus perficiat; fotus autem aquarum thermalium maximam efficaciam habuerunt ad hoc exanthema ex paralytica parte extrahendum, sed primum antecesserunt viscidi, foetidique sudores.

Ea ratione, qua pustularum eruptio procedit, paralytica pars suo naturali tono restituitur, si quidem cuticula in affecta parte secedat; si autem ex naturae debilitate, aut ex bono regimine neglecto paralysis persistat, brachium gracilescit, tendines rigidi fiunt, atque dimotum brachium etiam dolet, et demum apoplexia convulsiva aeger e medio tollitur.

Hanc paralysim non raro observavi in curriculo febrium acutarum, quas praesertim sustinebat caussa proximâ nostri morbi, atque observavi paralyticam partem convulsivis motibus succussam, motum et sensum recuperasse altero interim brachio similiter paralytico facto.

Haec omnia phoenomena ostendunt paralysim hanc non proficisci ex labefactatione medullae nervorum, sed ex compressione cum stimulo genita a vitioso principio, quod haeret in tela cellulosa nervorum, quos impetit.



Oculorum morbi.

Oculorum morbi alias subito nascuntur et fugaces sunt a veneno instar fumi partes oculorum pervadente; alias contumaces ab eodem veneno si diu in aliqua oculorum parte inhaereat. Diversi autem effectus sunt pro varietate locorum, quae impetit, variaque proportione utriusque miasmatis, quae facit ut partes magis convellantur, aut debiliores reddantur.

Partes irritabiles oculorum, atque sensibiles utique generatim debilitantur, sed faciles ad quemdam spasmum redduntur; limbum palpebrarum irritans venenum glutinis viscidi separationem movet, unde palpebrae per noctem conglutinantur, atque rubent. In albuginea sicuti etiam in externa cute nascitur rubor, qui similiter cum pruritu esse solet, et ardore, aut sabuli oculo recepti sensatione, atque alias cum sensu puncturarum, si expeditior sit actio miliarium miasmatis. Sed cum hoc venenum valde infirmet sensibilitatem nervorum, tunc rubor cum exiguo dolore intensus est, phlyctenae etiam tum in albuginea, tum in cornea se se efferunt; frequenter in fronte, proximaque gena minutissimae pustulae subrubrae, aut cuti concolores tactu persentiuntur.

Rarissime catharacta nascitur; sed frequentius lenta amaurosis, amblyopia, diplopia, aut visio distorta objectorum, qui morbi pertinent ad retinam vario modo compressam, aut stimulo percitam, vel etiam inaequalem musculorum oculi actionem. Obtusus etiam in hisce aegrotis defixus redditur, et a consueta alacritate longe recedit propter statum musculorum, qui debiles ad motum cum quadam decurtatione fiunt. Hic status nervorum, atque etiam fibrarum medullarium cerebri, quae in nervos opticos, retinamque facessunt, caussa est, ex qua semper in confirmato morbo summa nascitur visus debilitas, atque interim ob quamdam ad spasmum aptitudinem oculi lucem aufugiunt. Explicatio caliginis, muscarum obvolitantium, aliorumque phoenomenorum ad visionem pertinentium ex dictis facile patebit.

Scintillae veniunt ex veneno retinae stimulum inferente sive mediate, sive immediate, praesertim ex tensione musculorum oculorum motui inservientium. Ingentes mentis, et animi commotiones, nec non vigiliae in iis, qui jam eas habent, statim eas plurimum augent, atque visum maxime afficiunt. Vidi etiam quemdam scroti pruritum, qui ab hoc morbo

proveniebat evanescentem, statim scintillas in oculo sinistro dedisse, atque scintillae, quae jamdudum vexabant excitato sudore, et advenientibus pustulis omnino disparuisse, quae iterum apparuerunt miliaribus pustulis depressis.

Scintillae oculorum levi compressione adaugentur, uti etiam oculo versus externum canthum ab interiori leviter compresso. Post somnum frequentiores, et vividiores sunt. Scintillae saepius exhibent fugacem arcum lucis, saepe cum tremore aliquo repetentem eadem ratione, qua similes scintillae apparent, statimac oculus ab interno cantho paullo ruditer ad externum urgetur. Haec phoenomena suadent venenum musculos ipsius oculi propria vi tendere, et decurtare. Nihil autem magis frequenter evenit, quam plurium phoenomenorum ad oculos, et visionem pertinentium adventus ex rapto veneno ad caput, atque ad oculos: observatio etiam docuit eos, quibus facilis in hac aegritudine est coryza oculorum morbis rarius tentari.

Scintillae chronicam, et diutissimam aegritudinem constituunt modo leniorem modo vehementiorem; sed in aegris nostris fere momento temporis inopinato interdum adveniunt splendores sine dolore

ante oculos recurrentes, qui scutum vivissimae lucis exhibent. Hosce consequitur statim magna visus debilitas, atque amaurosis imperfecta. Ii autem ex retinae spasmo oriuntur, quem status fere paralyticus retinae consequitur. Mihi etiam contigit audire aegros conquestos de subitaneo veluti quodam rubore objectis omnibus circumfuso, et prompte disparente absque visus debilitatione.

Post frequentem scintillarum recursum visus debilitas, et visio nebulosa, raro sequitur integra caecitas, sive amaurosis.

Ophtalmia potius est sicca, quam humida, atque sordes, quae circa tarsum palpebrarum colliguntur, non humidae, sed siccae sunt glutine concreto et densato. Periculosa est ruboris oculorum, sive ophtalmiae disparitio, sive remediis repulsa, sive profundius intra caput remanente materia morbifica non amplius adveniens, atque observatione constat graviora interioris capitis mala per oculorum, et palpebrarum ruborem conticescere etiam ad annos.

Bonum est limbum palpebrarum plorare, et veluti purulentam materiem fundere, atque ii, quibus natura hoc beneficium curat, visionem diu conservarunt; non pauci vero, quibus oculi nitidi facti

sunt, post aliquot mensium spatium apoplexia correpti fuerunt.

Amaurosis in hoc morbo lentissime venire consuevit, atque consequitur praecedentem ambliopiam, visus obscurationem, aliaque similia phoenomena, ut muscas obvolitantes, caliginem, scintillas, etc., atque oriri videtur ex vitioso humore nervum opticum comprimente, et debilitante; cum tamen noster morbus alias oculorum infirmitates afferre soleat, atque gradatim morbus progrediatur, raro aegri ad perfectam amaurosim rediguntur. Repentinam amaurosim utriusque oculi in filia viginti annorum, quae proxime consecuta erat evanescentem cum phlegmatia dolorem genu, felicissime ex integro superavi usu spiritus Mindereri, et repetita tibiae sinistrae, cujus genu intumuerat, in aqua calida immersione.

Scorbutus.

Scorbutus, sive potius scorbutica oris affectio advenit in tertio, et quarto stadio, et quod ad os pertinet, scorbutum revera exhibet; dentes enim vacillant, et cita carie nigra corrumpuntur, gingivae tument, atque sanguinem effundunt; os foetet, ulcuscula etiam in palato, et lingua interdum excitantur, atque salivatio solet haec praecedere, et comitari; sed plura phoenomena adsunt in hac affectione scorbutica singularia. Noctu morbus augetur, interdiu minuitur; plerumque in sinistro latere mandibula affecta est, atque in eo latere dentes vacillant, in altero firmi sunt; oborto sudore, aut etiam exanthematis apparentibus, statim dentes firmantur. Alia autem symptomata, quae in vero scorbuto observantur, hic desunt, uti tibiarum maculae lividae, et inaequales, et in ulcera transeuntes, squallor scorbuticorum proprius, atque dolores artuum velut ex contusione.

Haec scorbutica oris affectio pendet a miasmate praesertim sanguini inhaerente, quod ex cerebro per telam cellulosam in palatum, fauces, atque gingivas descendit, atque haberi debet tamquam partia-

lis aliqua judicatio, quae caput sublevat: revera animadverti stypticis, et tonicis generose adhibitis, firmatisque gingivis citissime et gravem odonthalgiam, et oculorum rubores, et capitis summam perturbationem, aliaque capitis incommoda oris emendationem excepisse. Interdum autem ore ad sanum statum remediis redacto, primum hydrophobia, deinde stomachi excoriatio successerunt. Id etiam singulare in hac affectione observavi, quod prompte nascatur in quarto stadio post capitis interni varias affectiones, et celeri gradu procedat, atque similiter prompte etiam conquiescat aliis malis subortis.

Angina.

Angina fugax esse solet, saepiusque dexteram palati partem afficit, atque sine ordine revertitur, sed interdum, et praesertim in adolescentibus, qui morbum ex haereditate ferunt, si caussa accesserit, quae febrim vehementem protulerit, gangraenosa facile evadit. Ii magis huic anginae obnoxii sunt, qui sanguinei sunt, coloris rosei in genis circumscripti, et fibrae, ut dicitur, albae, atque pueri, qui scarlatina laborarunt.

Quando bilis acris una jungitur, facile aphtas gignit: hujusmodi aphtae, si ad ima faucium paullo profundius penetrent, ulcerationes inferunt, quae diuturno, et difficili morbo originem praebent. Etenim usque ad tracheam erodere pergunt, primo vocem auferunt, deinde ad lentissimam phtysim viam sternunt, aut deglutitionem difficilem reddunt cum constanti periculo suffocationis. Hanc anginam ulcerosam non raro natam vidi ab exanthematibus, quae in cute jam effloruerant, audacter repressis.

Caeterum oris halitus in hac angina multum foetet, atque insignis deglutiendi difficultas cum levi dolore est. Pulsus autem a gutturali recedit, atque humilior, brevior, in extremo puncto sistolis citatior.

Haec angina per sudores feliciter resolvitur, succedentibus exanthematis; raro admodum in suppuratum abit, atque licet suppuratio eveniat, morbi proprium curriculum ea non prohibet. Si sudores, et exanthemata morbum non indicent, materiam ad alium locum translatam sequuntur plura alia mala, ut tussis, odonthalgia, cephalalgia etc. Ea vero resorpta morbus aliquandiu conticescit, novas deinde demonstrationes daturus.

In hoc morbo acutam, et chronicam hydrophobiam observavi, symptomaticam, et essentialem. In primo casu exanthematum retrocessionem, atque sudoris disparitionem consequitur; phlogosis autem in faucibus, et aphtae in lingua apparuerunt, ea vero phlogosi cito disparente, de quodam sensu levis ardoris in oesophago aegrotantes conqueruntur *; tunc delirant, etiam furiose, spectra vident, potulenta renuunt, lintea mordent, animo etiam deficiunt, mens ad momenta redit, et spem salutis abjiciunt, saliva acidum olens copiosa ex ore profluit, musculi faciei convelluntur, urina limpida mingitur, pulsus sunt parvi, parum febriles, lenti: haec autem omnia gravissima symptomata cito conquiescunt, si sudor iterum adveniat, aut malignus humor ad abdomen transferatur.

In chronica hydrophobia, sive potius essentiali, primum aegri per aliquod tem-

* Idem venenum, quod phlogosim in faucibus exhibebat, ad oesophagum descendens, aut levem ardoris sensum producit, aut imaginem cujusdam boli deglutiendi praebet angustiam inferentis; sed ad stomachum postea veniens iterum ardorem facit. Nude patet oesophagum multo minus sensibilem esse prae faucibus, et ventriculo.

pus sunt tristes, solitarii sine ullo capitis dolore; nunc evigilant, nunc dormiunt; ad motum torpidi lente manducant; eorum os foetet, quin tamen de ullo oesophagi adhuc incommodo conquerantur. Se se explicant in ore scorbuti phoenomena posita in oris foetore, et gingivarum cruentatione; accusant postea sensum cujusdam tenuis ardoris, et veluti scalpsionis in oesophago, atque tunc enarrata hydrophobiae incommoda se se produnt, quae sudore viscido, et foetido exanthemata ferente, atque constanti tantummodo superantur. Id autem si obtineri non possit, venenum ad stomachum descendit, perpetuas inferens animi defectiones. Mandibulae varias convulsiones ostendunt; de tremore cordis interdum aegri conqueruntur, in pandiculationem convulsivam incidunt, qua mandibula inferior distracta aliquandiu persistit, ac si essent morituri cum sensu, et apprehensione imminentis mortis. Talis autem nascitur tractu temporis oesophagi, et praesertim stomachi insensibilitas, ut expetant, atque impune bibant spiritum vini, atque potum calidum appetentes, ab eo praecalido non laedantur; alvus adstricta est, et abdomen depressum. Cibum respuunt, pulsus vix est febrilis,

sed febres variae subsequuntur, quibus natura sudorem molitur, denique, cessante omni sudoris recursu, post convulsiones, non tamen vehementes, et lypothimias frequenter venientes, et demum syncope moriuntur.

Ex aphtis in ore aceto repressis vidi lentam hydrophobiam in juvene, qui nostra febre purpurata laborabat: oborto sudore, levabatur, neglecto, hydrophobia redibat.

Foemina jam aetate provecta, quae nunquam aestate sudabat, per plures menses cum magno ejulatu, et clamore, mordendique desiderio, et delirio, miserrime per plures vices, redeunte hoc malo, jactata est, quod mitescebat, aut intermittebat, si phlogosis, aphtaeque in ore advenirent. Demum cum ad pulmones malignus humor transiisset, peripneumoniae quadam specie convulsionibus conjuncta, celeriter sublata est. Addam observationem pueri, cui hujusce febris purpuratae venenum habenti glandulae colli induratae sunt dolentes, et liventes: curatio instituta est per purgantia, et glandularum color lividus abiit, imminuto etiam corpore glandularum; sed venter intumuit tympanitico modo, atque dolebat cum alvi fluxu, urinae nunc parcae,

nunc copiosae erant, et saepius tenues; cibos tamen appetebat; scrotum, et utrumque crus, sed praesertim dextrum intumuit usque ad lumbos, brachium sinistrum, digitique interdum rigebant; non deerant signa summa hujusce morbi posita in aure sinistra minore, et pulsuum conditione: febris semper erat continua, sive potius quotidiana remittens sine frigore. Scrotum plurimam aquam stillavit, et detumuit; abdomen molle factum est, et subsedit; sine ulla transudatione diminuta est phlegmasia cruris dexteri, et tunc vesiculae miliares sine sudore apparuerunt, signi, non crisis rationem habentes; anorexia advenit, et vomendi conatus, atque puer querebatur de sensu cujusdam flammae inordinate recurrentis in oesophago; statim ac hic sensus accedebat subdelirus, rabidus, furiosus ululabat, atque mordendi immani desiderio, et adstantes scalpendi agebatur. Cum autem mens aliqua perstaret se nullo modo, tum ab ululatu, tum a mordendi, et adstantes impetendi desiderio se posse continere significabat. Apparente aliqua phlogosi, in faucibus melius se habuit, atque aphtas in palato genitas consignavit, sed interim abdomen iterum elatum est, postea denuo vomuit, alimenta de-

trectabat, et potulenta, iterumque, sed minus impetuose delirabat, et post convulsiones minuto, celerique pulsu facto mortuus est cum iis signis, quae oesophagum, et stomachum in gangraenam abiisse significabant. Quae circa hydrophobiam nostro in morbo observavi, docent hydrophobiae venenum ex morsu canis rabidi genitum multam cum nostri morbi veneno affinitatem habere, atque venenum rabidi canis primum etiam cerebrum afficere, atque ex cerebro per fauces, et verisimiliter per nervos ex intima medullari cerebri substantia descendere, et in oesophago se figere; hydrophobiae autem phoenomena apparere, quando venenum se figit in oesophago. Morbi vero superatio expectanda videtur ab iis remediis, quae prompte resolvunt, atque per sudores virulentam materiam dispellunt. Canes in hydrophobiam incidere dicuntur, eo quod nunquam sudent, sed hoc nostrae hydrophobiae infortunium praesertim eos corripit, quibus difficilis sudor est, atque animadverti plerosque aegrorum, qui in hanc calamitatem inciderunt, confessos fuisse se nec aestate sudare consuevisse.

Duo autem adhuc animadvertenda habeo, quorum primum est notabilis febris

diminutio, statimac ab aliis partibus transmissum venenum oesophagum ferit, reditusque majoris febris, si ab oesophago ad alias partes transferatur, itaut vehemens etiam febris ab eruptione exanthematica sustentata statim veluti cesset pulsu lento facto, gracilique, dum oesophagus afficitur. Alterum est singularis natura delirii, quod spectra varia offert, et ea quadam asseverantia indicata ab aegris, qui sui adhuc compotes sunt.

Caeterum licet praecipua phoenomena in omni hydrophobia constantia sint pro vario impetu iuflammationis, ejus extensionis, et statu nervorum, aliqua etiam insigni varietate morbus progreditur.

MORBI PECTORIS.

Haemophtoe.

Character hujus haemophtoes sequens est. Interdum aura ex abdomine, aut aliis locis oriens, et aliquem dolorem, aut nullum in pectore afferens, gignit repentinum sputum sanguinis, qui affatim iteratis vicibus rejicitur. Hoc sputum ad ipsum aegri sensum ex pectore venit, vix autem ulla tussis est. Sanguis hic spumosus non est, sed saepe suffuscus,

atque solutus. Hujusmodi orgasmus sanguinis frequens in foeminis est, quibus menses ex ordine non fluunt. Vidi repente evanescentem dolorem calcanei, momento fere temporis post excitatum dorsi dolorem sputum sanguinis dedisse. Nisi destillatio ad pectus una adjuncta fuerit, per plures annos sine phtyseos periculo etiam perdurat.

Interdum autem hujusmodi sputum proficiscitur ex quadam plethora sanguinis in vasis pulmonalibus sensim genita, quae ad illam plenitudinem paullatim augescit, ut vasis disruptis affatim sanguis effundatur. Alias autem materia morbifica ab externo pectore in dolore lateris huic morbo proprio ad pulmonem fertur, vasa rodit, et aperit, sanguinisque sputum producit.

Verisimile etiam est sicut in externo corpore, ita intus produci varices, in quibus sanguis colligatur, atque iis disruptis effundatur; hujusmodi aegri de quodam pectoris gravativo sensu conqueruntur, deinde repente sanguinem grumosum expuunt, atque postea sanguinem obscurum, fluidumque non exigua copia reddunt cum pauca tussi, quod sputum sanguinis, licet etiam violentum sit, prompte postea conquiescit.

Quod si in minimis venulis, quae circa vesiculas pulmonales rete faciunt, sanguis stasim agat, sputa redduntur obducta veluti tela nigra araneosa. Ea prima fronte ad atram bilem referenda esse videntur, sed ea, quae subsequuntur, evidenter cruenta probant illum nigrorem pertinere ad sanguinem, qui stasim egit.

In quarto demum stadio sanguine jam gangraenosam aliquam naturam adepto, atque in pulmonibus vim suam exerente producitur etiam sputum cruentum, quod obscurum, solutumque sanguinem exhibet, neque exigua copia rejicitur.

In hac haemophtoe, quacumque ex caussa veniat, duo constanter observavi: 1.° quod sanguis spumosus, rutilusque non sit, sed fuscus, et saepissime solutus; 2.° tussis molestiam non afferat. Consuevit porro sputum per intervalla redire, atque diu morbus trahi, quin phtysim inferat, nisi aut bilis acris, et aphtosa, aut congestio in pulmonibus ex lympha coacta, et subphlogistica adjungatur: puto autem id evenire pluribus de caussis. Sanguis nimirum plerumque ex venis disruptis venit, atque morbus potius ad stasim, quam ad inflammationem ducit, et debilitata actione nervorum, alius omnino exurgit in oeconomia animali status diversus ab eo, qui favet suppurationi.

Dispnoea.

Multiplices utique esse possunt caussae dispnoeae, sed eas tantum, quae frequentius eam in hoc morbo producunt, persequemur.

Ex affectis musculis pectoris nascitur respirandi difficultas, tunc tussis, et paullo fortior inspiratio sine dolore non sunt, atque ad tactum etiam loco peculiariter affecto pectus dolet. Hic dolor aut acerbior, aut remissior est, prout materia morbifica, aut instar rheumatismi musculos tenet, aut eos instar erysipelatis ferit.

Sive sanguinis, sive lymphae spissitudo in hac aegritudine facile eveniens ex materiae morbificae actione spirandi difficultatem facit, in qua inspiratio incompleta, et difficilis est, atque si tussis adest, ea se se prodit praesertim in conatu inspirationis; atque phoenomena observantur, quae ab Auctoribus attributa sunt pulmoni repleto: morbus enim noster, nisi bilis acris, et subphlogistica adjuncta sit, potius ad stasim humores ducit, quam ad inflammationem. Consuevit autem plerumque inferior, et externa pulmonis substantia primum affici, praesertim si dispnoea fiat ex lymphae visci-

ditate. Lympha autem haec dum resolvitur, partim in circuitum urgetur, partim fertur ad interiores partes pulmonis, et bronchia, itaut quae primum in dispnoea tussis nulla, aut minima aderat, progrediente morbo, cum utilitate molesta adveniat.

Hujusmodi infarctus lymphae, nisi resolvatur, accedente spasmo, a stimulo, et acrimonia materiae impactae, recurrentes facit cum sibilo magno spirandi difficultates, cum asphyxia etiam conjunctas, cordis tremore, et aliqua palpitatione. Pulsus est brevis, inaequalis, parvus, etiam deficiens; urinae autem variae sunt, saepius copiosae, et aqueae. Oppressivi insultus inordinate, et cum vehementia recurrunt, atque, remittente accessione, febris evidens redditur cum pulsu contracto, atque interdum etiam, obtenta majori vasorum libertate, sudores erumpunt proprium odorem olentes. Pluries solet, et diu etiam natura cum morbo conflictari, quae perpetuo conatur materiae ex pulmone dimotionem, atque in vias sanguinis infusionem. Ad hunc statum morbo redacto tunc ea observantur, quae pertinent ad futuram eruptionem exanthematicam. Verum si natura id operari non potuerit, pereunt aegri ex

pulmone repleto, et labefactato, aut vasa externa lymphatica pulmonis disrumpuntur, atque hydrops pectoris nascitur; materia etiam morbifica post vehementem conflictum per telam cellularem ad abdomen descendit: sed ad tibias non raro transit, speciem phlegmasiae faciens; dextera autem pars prae laeva solet materiam morbosam recipere.

Vapor etiam malignus ex inferioribus partibus ascendens, et frequenter ab externo pectore ad pulmones delatus vehementem oppressionem inducit cum tussi, aut sine tussi, quam tribuo tenui cuidam phlogosi in pulmonibus factae ab adveniente materia morbifica in tenuem quasi vaporem resoluta. Hujusmodi phlogosis nisi prompte dispellatur, cito etiam visceris gangraenam inducit.

Spasmus denique nervorum cerebralium, et spinalium, qui pulmonibus provident, tum etiam nervi maxime stomachi, proximarumque partium, in fortem spasmum adducti, ex stimulo maligni miasmatis in consensum trahentes nervos pulmonis, et tracheae, dispnoeam convulsivam faciunt, quae cito etiam potest interficere.

Omitto reliquas minus proxime ex hujusce veneni actione ortas caussas, quae

dispnoeam facere possunt; sed silentio non praeteream ex nervorum vitalium imbecillitate, et humorum generali visciditate eum obicem agenti cordi constitui, ex quo fiat, ut sanguis intra pulmones congeratur, atque dispnoea nascatur.

Phthisis.

Phthisis haec, quae in tertio, et quarto stadio plerumque supervenit, habenda est tamquam metastasis materiae morbificae tracheam, et pulmones impetentis: sequenti ratione solet procedere. Consequitur sputum sanguinis, aut congestiones in pulmone genitas, aut nascitur ex destillatione a cerebro, et faucibus ad pectus, eaque destillatio conjuncta est aliquando cum salsae pituitae discrasia, alias cum ichore quodam ex bile genito ad aphtas referendo.

Generatim observavi in hac phthiseos specie febrim exiguam esse, pulsationibus non acutis, et citatis, sed parum frequentibus, debilibus, et demissis ita, ut a Medicis minus diligentibus febrem abesse judicetur. Tussis molesta, et valde exstimulans sensim redditur, atque etiam instar ferinae tussis stomachum quandoque subvertit: primum spumosa, et alba

sputa sunt, deinde mucosa muco aequali subflavescente, tandem vero purulenta. Ex malo autem odore sputorum statim damnandus aeger non est; nam hic foetor facile potest pertinere ad mucum a maligno miasmate corruptum, quin adsit solidorum exulceratio. Vidi aliquando aegros pro desperatis habitos ex macilentia, et sputorum foetore, qui dimoto ex pulmonibus veneno, et per advenientia exanthemata eliminato bonam firmamque valetudinem praeter expectationem recuperarunt. Quando autem febris evidentior redditur, morbus celeri gradu progreditur, calor cutis etiam in provecto morbo aliquis, sed minor est, quam in alia phthisi, nisi agatur de phthisi aphtosa, quae proxime consequatur morbum exanthematicum male judicatum; haec enim inflammatoriae indolis est, atque trium, aut quatuor mensium spatio, atque etiam citius hominem interimit. In progressu hujusce phthiseos alvus cum torminibus intestinorum inordinate liquida est. Haec autem diarrhoea non ut in aliis phthiseos speciebus pendet ex corrupto, et purulento humore resorpto, quem natura urget ad intestina, sed est vera translatio per intervalla recurrens portionis materiae morbificae primitivae, quae a pecto-

re tranfertur ad intestina, quin tamen pectus liberet. Post variam durationem, variumque conflictum, et repetentem aliquam morbi mitigationem aegri macilenti, et maxime debiles vix cum stertore inopinato ex syncope moriuntur.

Sputum sanguinis pluries, et per annos etiam in nostro morbo repetit, quin phthisim inducat, atque circa hanc rem consulat benevolus Lector, quae de haemophtoe dicta sunt: ex repetito vulnere vasorum demum vulnerata pars inflammatur, et in suppuratum abit, sed plerumque eadem caussa, quae facit vasorum disruptionem, vasa etiam minora lymphatica erodit, atque ad suppuratum ciet.

Sine ullo autem sputo sanguinis, et sine indicio congestionum in pulmone, ex hujusce materiae morbificae secundum tracheam, et bronchia destillatione nascitur haec phthisis; non modo enim acrimonia sua erodere profundius substantiam tracheae, et bronchiorum potest; sed materia ipsa in membrana mucosa veluti transudans vitiatur, atque falsam suppurationem infert, quae successive profundius agens pulmones ipsos labefactat. Sic videmus interdum hanc materiam morbificam digitos pedum afficientem acrem quamdam transudationem inter digitos ef-

ficere, ex qua cuticula separatur, cutisque externa suppurationem praebet. Idem verisimiliter evenit in interna mucosa membrana tracheae, et bronchiorum, atque hujusmodi phthisis etiam sine ullo sputo sanguinis, atque doloribus intercostalibus lento gradu hominem occidit.

Congestiones autem in pulmone suppuratoriae, quae tubercula dici solent, non eveniunt in hoc morbo, nisi una extiterit lymphae conditio rheumatica, cui praesertim tribuenda est illa congestio, quae suppuratoria est. Nam sine tali dispositionis, et complicationis additione, si lympha propter suam visciditatem in vasis pulmonalibus haereat, ex hujusmodi actione potius cum quadam per pulmones aequalitate reses fit, et stasim agit, atque ad superficiem pulmonum impulsa, ibi instar gelatinae concrescit, aut mala quadam suppuratione in morbo acuto totum fere pulmonem corrumpit.

Dicendum nunc est, quanam de caussa factum sit, ut nostris temporibus adeo familiaris morbus sit phthisis. Observavi eam saepe profectam fuisse ex neglecto regimine in altero morbi stadio. Cutis nimirum obturata repellit humores ad interiora, debilis actio vitalis non sustinet propulsionem vitiosi humoris ad partes in-

feriores, lympha ex actione veneni viscida redditur, recrementa diversi generis, quae non amplius possunt per cutim eliminari, retinentur, neque per urinas, quae solent tenues ex spasmo esse, evacuantur. Febricula ex hisce caussis excitatur ex genere quotidianarum, atque ex conjuncta vi harum omnium caussarum lenta metastasis fit ad pectus, quae phthisi viam sternit.

Aliquam etiam partem conferunt muria in humoribus ab hisce caussis accumulata, et soluta, atque vinum, quod nostrates homines non pauci appetunt, et peculiariter ii, quos haec infirmitas premit, nam veluti ex quadam necessitate propter vires, quas sentiunt imbecillas, et quandoque veluti deficientes, ad vinum confugiunt.

Dolor lateris.

In tertio stadio morbi frequens aegritudo est dolor lateris, qui saepius est inter quartam, et sextam costam (raro autem in dextero latere occurrit, nisi dextera auris, dexterumque brachium affectum sit). Saepe hic dolor ex musculis abdominis ad pectus ascendit; interdum ex scrobiculo cordis dolor venit. Hic dolor

sat constans est, alias per intervalla recurrit, atque per annos plures etiam hunc locum vexasse observavi. Super dolentem partem vix potest aeger cubare, quin anxietatem, atque animi etiam defectionem patiatur: vehemens inspiratio, atque diductio brachii dolorem adauget, etiam pars dolens, interdum aliquantum tumet; alias minime. Circumscripto loco pars dolet, dolore nunc lancinante nunc distensivo: pars non calet. Si materia morbifica dolorem faciens nitatur extus venire, pars haec potissimum sudat, et vidi circumscripte dolentem partem sudasse: primum frigoris, aut horroris sensus in affecta parte excitatus est, deinde caloris sensatio cum rubore affectae partis, quae primum doluerat; hunc autem ruborem comitatus est cum magno ardore pruritus. Pustulae deinde rubrae subnascuntur, quae in vesiculas abeunt, aut quin vesiculas faciant, iterum una cum rubore disparent. Quamvis pars dolens ea potissimum sit, quae veluti erysipelas proferat cum minutis pustulis, tamen et in reliquo corpore sudor solet manare, et alibi etiam similes pustulae, sed minori copia efflorescunt. Sudoris conditio similis est ac in exposito morbo exanthematico, viscida nempe, et foetida. Si ma-

teria hujus exanthematis profundius subeat, atque recto tramite, ut facere solet, usque ad pulmonem perveniat, jam ad tactum pars non amplius dolet, sed anxietas augetur, levis tussicula accedit, atque sputum cruentum affatim inopinato rejicitur. Sputum autem hujuscemodi sinceri, obscurique sanguinis esse solet ab eo plane differens, quod in vera pleuritide observatur. Mihi contigit videre illam mutationem recurrentem, qua modo pars externe rubore ardenti suffundebatur, atque ad tactum dolebat; modo materia disparente, atque ad tactum omni dolore cessante sputum cruentum iterum apparebat. Quando pulmo materiam morbificam recipit, dolor saepe in dorso ejusdem lateris persentitur; evenit etiam, ut dolor successive ex latere sinistro gradum faciat ad dorsum, sed et hic dolor quandoque iterum ad abdomen descendit. Una, alterave sanguinis missione solet morbus mitigari, iterum post aliquod tempus rediturus. Repetitis actibus, atque diuturnitate temporis, haec haemophtoes species denique in phthisim abit, sed morbus priusquam ad phthisim aegrum redigat, plures saepius annos impendit. Dixi saepius a musculis abdominis materiem ad pectus transferri, sed et interdum ex

malleolo pedis, ex talo, ex genu, aliisque locis subito dimota materia latus sinistrum impetit: alias vitiosa materia sanguini adhaerens, atque in gyrum circumacta pulmonem impetit, atque derepente sputum cruentum copiosum excitat cum lateris sinistri dolore, atque hoc sputum fere sine tussi esse solet. In hoc casu pulsus brevis cum sistole incompleta esse solet, atque vix febrilis: de caetero hujusmodi dolor lateris pleuritidem aemulans modo chronicus est, etiam sine febri, modo cum febri, eaque etiam ad aliquot dies perdurante, ita ut veram pleuritidem exhibeat. Per ejusmodi lateris sinistri dolorem alia hujusmodi morbi mala aliquando etiam diu conticescunt; neque prudens consilium est in morbo inveterato fotibus resolventibus impactam materiam audacter et valide dispellere, quae resoluta facile caput petit gravissima mala capitis allatura.

Palpitatio.

Symptoma proprium, et quod raro deest in hoc morbo, est palpitatio cordis, arteriae aortae, et coeliacae. Hae quidem arteriae frequentius in palpitationem cientur, sed et in aliis partibus palpitatio arteriarum nascitur, frequentius in abdominis variis locis cum sensu cujusdam vaporis huc illuc abdomen pervadentis, atque in eo loco, quem afficit, palpitationem excitantis; in carotidum alterutra, atque saepius in dextera, in arteriis temporalibus observatur nunc satis constans, nunc intermittens. Palpitatio cordis, et aortae cum quodam veluti tremore quandoque conjuncta est, atque cum anxietate, quae per ascensum scalarum augetur, varie recurrit, et intermittit. Coeliacae pulsatio non modo cum anxietate, sed quadam animi abjectione est. Si sinistrum pectoris latus inter quartam, et sextam costam doleat dolore quodam veluti punctorio, qui tamen perpetuus non est, raro abest palpitatio cordis.

Etiam immediate ex cerebro propter affectionem nervorum vitalium nascitur palpitatio cordis, et coeliacae. Haec sine ordine revertitur, sed frequenter eam persentiunt nostri aegri, statimac ex so-

mno expergiscuntur. Palpitationem autem saepissime gigni existimo ex materia morbifica per constrictam telam cellularem arteriam vinciente, et ad pulsationem cogente; sed et fere in toto corpore, aut in alterutro brachio, si densa, et irritabilis cutis sit tempore eruptionis, multis locis arteriarum pulsationes persentiuntur, quae finem habent, posteaquam absoluta fuerit exanthematum eruptio.

Resistentiarum obex ex lymphae, et sanguinis densitate palpitationem excitat, ut in chlorosi, si potissimum resistentia ad uterum sit, atque, ut ajunt, e directione vasorum; sed haec per motum plurimum adaugetur; nostra autem interdum per motum et exercitium minuitur. Haec autem omnia nonnullis observationibus illustrare consentaneum duco.

Magna cordis palpitatio, quae post non bene judicatam miliarem febrem per plures annos perstitit ita, ut costae insigniter elevatae forent in latere sinistro, translato dolore laterali ad lumbos, multum imminuta est; suscitata autem est febris quotidiana cum doloribus articulorum: tinctura sassafras, et extracto chamaepiteos per urinas turbidas, et subjugales per mensem, et ultra perdurantes, febris quotidiana, atque omnia incommoda cessarunt.

Vidi etiam in viro quadragenario summam, et violentam cordis palpitationem, quae per duos annos duravit: cum febris acuta supervenisset, quo tempore miliarium eruptio apparuit, omnis palpitatio finem habuit.

Palpitatio carotidis dexterae, quae per duos annos vexabat vehemens, sine capitis dolore, commota materia, quae dedit dolores articulorum, deinde exanthematum eruptionem, diminuta primum, deinde in integrum sublata est.

Palpitationem arteriarum temporalium per plures menses constantem comitatus est quidam rubor cum dolore conjunctus in regione dextera temporali; ea vero cum transiisset ad latus sinistrum, ibi etiam similem arteriarum temporalium sensationem excitavit; utraque demum per erumpentes in universo corpore pustulas, et vesicas omnino cessavit; sed priusquam pustulae se se efferrent in cute brachii praesertim sinistri, sensus cutis in eo diminutus erat, et variis locis arteriae pulsabant etiam in digitis, quae pulsationes, postquam puncturae digitos per aliquod tempus vexassent, ex integro evanuit lente, et repetitis vicibus minutis exanthematis apparentibus.

Anorexia.

Tertii, et quarti stadii plerumque morbus est anorexia, atque ordinario jam praecesserunt ea phoenomena, quae tubum intestinalem affectum esse denuntiant, cujusmodi sunt alvi segnities, et inertia, cum excrementis inaequalium scybalarum formam adeptis, aliqua matutinis horis post somnum vomituritio, aut recurrens brevissimi aevi singultus, imminutum desiderium potus, non facilis alimentorum concoctio, aliaque hujusce generis, quae demonstrant jam fractam esse * vim nervorum stomachi, et viscidum mucum internae faciei ventriculi adhaerere. Adeo autem crescit in provecto morbo hoc symptoma, ut cibum aegri prorsus renuant, potum frigidum despiciant, cardiaca aromatica, et spirituosa aveant, et impune spiritum vini bibant, neque praecalidum potum reformident. Tunc de frequenti sensu defectionis conqueruntur,

* Laesio nervorum diversorum, qui stomachi actionem regunt, progrediente morbo, non modo virtutem stomachi debilitat, atque ejus sensibilitatem minuit, immo fere adimit, sed et vim fibrae muscularis fere delet, atque actionem cordis potenter infringit.

atque revera animo linquuntur, mortem imminentem perpetuo timent, spem omnem salutis abjiciunt, atque interdum aliqua oscitatione, et spirandi brevitate, sed sine stertore ad agonem redacti esse videntur, dum interim adhuc praeter expectationem vitam protrahunt. Hujusmodi sic dixerim insensibilitas stomachi post alvi fluxum diu perdurantem, et usum remediorum ad tubum intestinalem miasma malignum perpetuo trahentium, se se emonstravit in reliquo tubo intestinali, et signatim in intestinis crassis, ita ut aegri immissos clysteres semper frigidos esse dicerent, licet praecalidi ad morem gerendum immissi fuissent, et eo calore pollentes, quem assidentium manus ferre non posset.

Perdurans anorexia pylori relaxationem producit, atque aegri palam declarant assumta statim in ventrem descendere, eaque postmodum difficillime, et laboriose consequi.

Si sponte, aut artis incitamento vomitus nascatur, eo redduntur multa mucosa, glutinosa, atque etiam successive biliosa, viridia, aut nigricantia, atque alvus dejicit primum dura, deinde liquida varii coloris excrementa, et foetidissima.

Aliquod inde levamen aegri percipere

videntur, sed illud fugax est, nam alvi fluxus varius, et multiplex continuo urget lypothimias saepius afferens, ita ut viribus exhaustis, pulsu minuto et decrescente, deinde reciproco, ultimo autem deficiente aegri post convulsiones non vehementes musculorum faciei, et mandibulae, mentem tamen saepissime servantes, ex syncope moriantur.

Praeterea impressiones, quae in duodeno nascuntur ex bilis vitio, quod successive in hoc morbo generatur, alteram anorexiae caussam constituunt, quae conjuncta est cum magna agrypnia, et aegrorum inquietudine; post aliquod tempus ab assumpto cibo cruciat distensio quaedam molesta non sine dolore inter umbilicum, et scrobiculum cordis; ructus etiam vomitui proximi incommodi sunt tempore digestionis; alvus inordinate nunc reses, nunc liquida. Si solum accumulata, et vitiosa bilis morbum faciat, abstergentia amara, saponacea levamen afferunt; verum (quemadmodum non raro evenit) si venenum in membrana interna duodeni defixum, tum illud male afficiat, tum venas etiam varicosas reddat, in magno periculo aegri sunt, et per vomitum, qui difficilis esse solet, evomunt etiam sanguinem obscurum atramque bilem, atque

cito ex interna gangraena duodeni moriuntur posteaquam per diutinum tempus multiplices dolores, atque plurima mala passi sunt, quae ad affectionem hypochondriacam pertinent.

Dolor stomachi.

Traditum est etiam in ipso limine hujus operis, nihil in praesentiarum frequentius esse prae dolore stomachi. Hic autem in omni stadio morbi occurrit, atque perrarum est, quod homines hoc morbo correpti, etiam si bona valetudine uti videantur, suisque officiis fungi possint, de stomachi dolore non conquerantur.

Tantam vero hujus mali frequentiam tribuo plurimis, diversisque nervis, qui in ventriculum confluunt, et cum aliis nervis, partibusque valde consentiunt. Ex iis enim, quae diximus, constat per telam cellulosam nervorum venenum peculiariter transmitti, atque ab eo eas mutationes exoriri, praesertim in sanguine, lympha, muco, et bile, quae et multa mala gignere, et plures morborum successiones facere debent.

Stimulus igitur nervorum ab hoc veneno illatus in illos nervos, qui ad ven-

triculum confluunt, praesertim autem in nervos cerebrales, dolorem stomachi infert, qui remittit et augetur sine notabili scrobiculi elevatione, neque insigni ad tactum affectae partis doloris incremento.

Nervorum cutis cum stomacho mirum in modum consentientium exstimulatio, irritatio ab hoc miasmate in cute haerente, et subsidente, quandoque dolorem stomachi, sed saepius stomachi subversionem attulit sine dolore. Tribuo enim vehementem dolorem stomachi, atque intestinorum, qui subsequitur repressum sudorem, aut depressa exanthemata, non soli nervorum spasmo, sed verae maligni humoris, quacumque via id fiat, ad interiores partes translationi.

Frequentissime autem in hoc morbo chronico evenit, ut doleat vehementer stomachus cessante capitis dolore, atque hic vehementer urgeat, stomacho non amplius dolente.

Haec cita permutatio doloris evenit ne propterea, quod materia cerebrum irritans nunc descendat ad stomachum, nunc in cerebro persistat? Sed frequens et constans haec permutatio, et vicissitudo designat translationem materiae. Haec translatio fit ne per telam cellulosam nervorum? Phoenomenon certum est, ratio ta-

men non adeo facilis est. Magna quidem omnino fugacitate, et celeritate venenum hoc dum veluti in vaporem est resolutum, ab una ad aliam etiam remotam partem transfertur etiam visibili translatione, ea nempe quam fugax externus rubor ostendit. Favent vero huic rationi etiam dolores vagi et fugaces, sive pectus sive abdomen, et intestina vel stomachum ipsum cum quodam ustionis sensu ferientes.

Dolor autem stomachi et quidem varius, et multiplex oritur ex veneno, quod sanguini inhaeret, aut lymphae, aut bili, variaeque etiam exurgunt differentiae pro diversitate loci affecti. Pyloro stimulus applicitus, vomendi conatum, aut impetum excitat; si superius orificium affectum sit, dolor gravis torquet, etiam cum lypothimia conjunctus, et mens submovetur. Varia porro occurrunt prout aut membrana externa ventriculi, aut interior, vel denique musculosa stimulum retinet. Si inflammatio nascatur, vehemens dolor tenet sine insigni scrobiculi elevatione, alimenta aeger non retinet, valde anxius est, pallescit post vehementes dolores, et animo linquitur. Pulsus autem durus, tensus est, non admodum celer, triangularis, neque subsidet, nisi dum lypothimia advenit, aut stomachus in gangraenam abit.

Si lympha hoc venenum retinens cum affrictu haereat in vasis stomachi, major adest elevatio scrobiculi tensi, et ad tactum non multum dolentis, cum similibus phoenomenis, sed dolor modo major, modo minor est; atque diu etiam trahi morbus potest. Saepe sub specie rheumatismi morbus progreditur, atque materia morbifica ex variis abdominis locis prompte ad stomachum transfertur; pulsus brevis, et contractus est, minus elatus, et multo minus tensus. Quod si materies irritans inhaereat interiori stomachi tunicae, contumax et remittens in dolore aegritudo est, atque identidem aegri evomunt multam salivam cum muco viscido et copioso. Hi autem omnes morbi dimoto veneno, et in circuitum acto mitigantur, atque etiam cessant: febris evidentior redditur cum citato pulsu, et prompte adveniunt sudores allaturi exanthemata, plerumque non numerosa, quae morbum ex integro finiunt. Eadem successio morbi liberavit non raro aegros, quos a diutino tempore vexabant frequentes vomitus, quos febricula aliqua inordinatim comitabatur; sed conditio pulsus, atque praesentia aliorum phoenomenorum, et praegressi morbi, et repressa exanthemata, naturam morbi veluti digito monstrabant. Irritis omnis ge-

neris praesidiis, corroborantibus, opiatis, etc., paucorum dierum spatio per venae sectiones, et diaphoretica morbus superatus est.

Si lymphae adjunctum malignum miasma telam cellulosam externam stomachi teneat, dolor est distensivus, non vehemens cum magna ad scrobiculum inflatione, et flatuum eruptione, qui quando eructantur, aegrum sublevant. Hi dolores, qui, nisi aliqua subsit phlogosis, sine febre sunt, pulsum exhibent parvum, inaequalem, et contractum, non celerem, etiam intermittentem, contumaces sunt, et insigni inaequalitate recursus durationis, et intensionis aegros vexant.

Telam cellulosam firmiter exstimulans hoc venenum, aut levem phlogosim faciens circa vasa venosa ea vincit, atque cogit in varices amplificari. In hanc aerumnosam infirmitatem non infrequenter incidunt ii, quibus diu doluit stomachus chronico modo. Hujusmodi malum solet et vomitum inferre, et recurrentes lancinantes dolores, et febriculam etiam anomalam excitare. Post cibum assumptum male se habent, et denique iteratis vicibus sanguinem evomunt sine magno conatu, primum nigrum, et grumosum, deinde obscurum, et fluidum. Aphtae etiam ex fau-

cibus in ventriculum descendentes affinem calamitatem inferunt; sed hoc in casu acerbior repetit, et urget dolor, atque miserrime post multos labores mortem obeunt; pulsus inconstans est incredibili varietate. De dolore rodente, pungente, lancinante conqueruntur, et cibi ingestionem reformidant, eo quod cruciatus augeant: assumpta vero saepius evomunt, postea quam graves molestias pertulerint; motibus etiam spasmodicis identidem torquentur, qui ea proportione, qua exulceratio, et excoriatio profundius penetrat, vehementiores sunt, atque tandem tum ex convulsionibus praecordiorum, tum ex defectione post multas ambages ex syncope moriuntur, sed multum diu in agone repetitis vicibus consistunt.

Quamvis hic status terribilis sit, habui tamen aegros, quibus salus reddita est exanthematicae febris auxilio, etiam si portionem membranae stomachi vomitu rejecissent. Summa, atque diu perstitit stomachi imbecillitas, atque ad vomitum ex levi errore proclivitas.

Singula autem, quae narravimus stomachi mala, nunc in stomacho diu etiam persistunt, sed saepe ad duodenum, et reliquum tubum intestinalem progrediuntur: materia morbifica per telam cellulo-

sam potissimum, et per continuitatem fibrarum, aut per vasa ipsa successive tubum intestinalem afficiente; immo interdum, et celeriter, ut alias jam diximus, vaporis instar, et, ut ajunt aegri, flammae discurrentis a stomacho ad reliquum tubum intestinalem transfertur. Sic aphtarum acrimonia descendens intestinorum excoriationem infert, alvum urget, et mucum intestinorum abradit. Quod si muscularem tunicam intestinorum afficiat, ejus contractionem urgendo, cavum intestinorum coarctat, quae huc illuc in cadaveribus quasi filo adstricta observantur.

Si tunica communis intestinorum venenum recipiat, intestina inflata distenduntur. Id autem proprium est huic infirmitati, ut vitiosus humor ultimo demum perveniat ad intestinum rectum, quo in loco se figit, dolores in ea parte, excoriationes, haemorrhoides, suppurationes ani fistulam exhibentes producit. Praeterea actionem intestini recti ita infirmat, ut aegri faeces egerere non possint, atque dum vehementi nisu conantur excrementa urgere, animo delinquunt. Si materia morbifica extra anum veniat, multae pustulae, et vesiculae cum ardore, et pruritu foras apparent; aliquando pars materiae morbificae ad vesicam transfertur,

atque ischuriam, tenesmum vesicae, aliaque vesicae mala procreat, de quibus sub ischuriae titulo sermo erit in disquisitione symptomatum, et phoenomenorum.

Colica abdominis.

Colica abdominis insignes differentias habet ex partium diversitate quae afficiuntur, et ex diverso modo quo malignum miasma eas ferit. Interdum quidem sed raro ex stimulo nervorum lumbarium dolores atroces peculiari modo intestina vexant, qui adveniente lumbagine cessant: hi repente veniunt, vehementes sunt, in delirium etiam, atque furorem aegros agentes. Saepius sunt sine intestinorum inflatione, et tensione, atque aegri sine querela abdominis contrectationem patiuntur.

Frequenter admodum in hac aegritudine musculi abdominis dolent, tunc autem abdomen non inflatur, sed veluti complanatur, neque etiam aequaliter universum abdomen consuevit dolere, sed potius dextera pars quam sinistra, atque ab uno in aliud latus dolor cum tensione transfertur: frequentius dolet hypocondrium dexterum ita, ut hepatis dolorem

mentiatur. Dolet etiam ex eadem caussae positione scrobiculus cordis, quin tamen affectus stomachus sit. Atque interim saepissime compressio musculorum pyramidalium cum scrobiculo cordis consentit, et dolorem stomachi auget. Alias regio pubis dolore tenetur, quin reliquum abdomen doleat, aut non dolente ad utrumque latus abdomine fortiter dolent musculi recti. Dolor ad tactum et contrectationem plurimum increscit, atque si scrobiculum cordis dolor obsideat, respirandi oritur difficultas; facile autem ad externum pectus dolor transit abdomine relicto, atque in sinistro potissimum latere se figit. Ex quo deinde ad dorsum, aut ad sternum transit.

Si venenum intestina impetat, et viscidae lymphae coalitum inhaereat, dolores vehementes facit, qui lecto affigunt aegrum omni motu corporis dolorem adaugente: alvus supprimitur, urinae parcitas adest, eaque turbata est, pulsus cum obtusa tensione non admodum frequens est, sed inaequalis.

Si tunicam externam intestinorum afficiat, intestina etiam inflantur, et flatus nulli veniunt: crescente morbo venter intumescit tympanitico modo, aeger vomit, dolores intermittunt et revertuntur, etiam

atroces, qui loci impatientes aegros reddunt; si interna substantia intestinorum affecta sit, vix abdomen inflatur, sed potius intra adigitur, nisi etiam externa tunica intestinorum in morbi consortium venerit.

Quod si bilis a vasis sanguineis allata externam membranam lacessat, brevi dirus tympanites nascitur, et post lancinantes acutos dolores in ascitem morbus degenerat.

Idem connubium bilis feriens internas membranas intestinorum, atque praesertim muscularem erysipelas generat intestinorum, sive diram entheritidem, quae cito illata gangraena hominem perdit.

Eadem materia morbifica, accedente praesertim actione bilis, propulsa ad villosam tunicam intestinorum dolores atroces, et recurrentes producit, excoriationem infert, alvum ciet excrementis variis etiam mucosis foetidissimis, et sanguinolentis *. In hac autem colica prompte

* Aliquando ruptis majoribus vasis dejectiones sunt cum multo sanguine, atque haec evacuatio per intervalla fere subito revertitur, eadem nimirum ratione, qua sanguis coalitum, et agens venenum tenens, atque sub vaporis cujusdam sensu pulmonem impingens, sputum cruentum producit, similiter et alvi fluxum cruentum generat. Alias autem perpetuo fere vexant dolores intestinorum cum alvi fluxu, et aliquo tenesmo, atque alvus

morbus a musculis ad intestina transit, atque vicissim deserens intestina fertur ad musculos, atque interdum ex peritoneo affecto abdomen aequaliter tenditur et intumescit, et multum dolet scrobiculi regio cum magna respirandi angustia, et brevitate.

Viribus vitae, aut remediorum auxilio dimota materie ex memoratis locis omnibus febris increscit, urinae secretio restituitur, atque sudores apparent cum aliorum phoenomenorum cessatione, atque sudores odoris sui conditione maligni miasmatis existentiam, et translationem demonstrant.

Bilis etiam sensim in cystide collecta, vitiosaque reddita, atque dimota dolores primum duodeni, deinde aliorum intestinorum affert, sed eo in casu inter dexterum hypocondrium, et umbilicum dolor vehementer urget, vomitus primum nihil redditur, sed postea cum magnis conatibus pauca evomuntur, et primo bilis nigra, et foetida, quae acida non est,

exonerat excrementa foetida mucosa, sed muco veluti roseo, et leviter rubente. In eo casu continuo feriens intestina malignum miasma cogit resolutos etiam globulos sanguinis cum muco ipso exire: caeterum hujusmodi alvi fluxus in quarto stadio solent observari, atque consequuntur illud regimen, quod venenum ad intestina deduxit.

deinde viridis. Urinae paucae sunt, atque deinde veniunt biliosae, obscurae, etiam nigrae, alvus est primum adstricta. Clysteres difficile immitti possunt, atque immissi non restituuntur, motus quilibet, immo etiam respiratio dolorem auget, febris tenet cum pulsu tenso, neque admodum frequenti, elatiori autem quam in morbis stomachi. Remittente dolore alvus deponit biliosa, urinae uberius profluunt, atque crescente febre sudores itidem adveniunt exanthemata prolaturi, quae copiosiora erumpunt in ea abdominis parte, quae magis doluit. Verum si praeter rationem, maximeque sine sudoris propulsione, dolores mitigentur, aut cessent cum manuum, aut narium, pedumque perfrigeratione jam nulla amplius spes est: haec enim phoenomena gangraenam subortam fuisse significant; moriuntur autem mentis compotes ex syncope, quae celeri gradu advenit, non sine aliquibus motibus spasmodicis pectoris, et faciei. Cum autem dum gangraena fit, aut procedit, pulsus ampliores reddantur cum multo minori frequentia, minus expertes Medici decipi possunt, atque in bonam spem erigi; sed hujusmodi pulsus, qui gangraenam dum ea fit comitantur, utique ampliores sunt, sed inflati non propellen-

tes, atque in diasthole suspensi, postea vero, et cito cadunt debiles facti, parvi, et continuo decrescentes, atque formicantes.

Tympanites.

Tympanites prompte interdum, sed saepius lento gradu advenit in hoc morbo, et ex mea opinione dependet a materia morbifica defixa in membrana externa intestinorum, aut etiam in tela cellulosa peritonaei; ea vero aut aurae instar abdomen impetit, aut dolorem rheumaticum interni abdominis exhibet, sed saepius effectus est hujusce miasmatis, quod instar erysipelatis in memoratis partibus permanet. Cum haec materia neque admodum firmam sedem teneat, neque aequaliter universum abdomen soleat afficere, inaequalis tensio est, aut ea ab uno in alium locum transfertur: dextera autem pars plerumque magis tensa est. Dolores inaequaliter cruciant, tensio etiam varie remittit cum diversitate urinarum, varioque earum profluxu. Natura identidem conatur post tensionis aliquam diminutionem febrem urgere, et sudores mo-

vere, qui si repellantur, aut non excolantur, fortior repetit dolor cum tensione, et febris occultatione. Varietas pulsus magna est, prout dolores urgent, aut remittunt, et varia est materia morbifica, cum viscida lympha aut cum bile acri compositio, ejusque dimotio, aut translatio. Denique post acerbiores dolores, fortioremque febrim cum pulsu non sine magno nisu contracto lymphatica vasa disrumpuntur, atque serum intra cavitatem effunditur, sive tympanites in ascitem migrat. Tunc omnia remittunt, et melius aeger se habere videtur, sed sensim ascites magis se declarat; repetunt tamen identidem dolores novam vasorum lymphaticorum rupturam addituri. Hujusmodi ascites diuturnum curriculum habere non solet; nam superveniens variis locis intestinorum, peritonaei, etc. inflammatio, quae est indolis gangraenosae, morbo finem imponit, priusquam integrum ascitis curriculum peragatur.

Observatum est in hujusmodi infortunium incidere aegros, quibus rheumatica existente humorum conditione, aut agente bile acri erysipelatosa audacter purgantia medicamenta exhibita fuerunt, vel ad dolores sedandos opiata medicamenta incon-

sulto fuerunt praescripta, sive per os data, sive per clysteres recepta.

Alvi fluxus.

Alvi fluxus in hoc morbo a diversis caussis proficiscitur, saepius a miasmate producitur, quod intestina ferit, sive inter morbi initia eadem impetat, sive a cute ad intestina repellatur, quod frequenter evenit post sudores dispulsos, et quando per aliquod tempus cum sanguine circumivit. Hujusmodi alvi fluxus serosus est, et qualem exhibebant sudores foetorem habere solet.

Bilis etiam collecta in cystide fellea, atque exitum sibi quaerens generat alvi fluxum biliosum, flavum, viridem, aut etiam nigrum, prout ex vitio contracto diversum colorem acquisivit.

Venenum etiam hujus miasmatis, si ad hepar translatum fuerit, atque poros biliarios exstimulet, magnam urget bilis separationem, quae alvi fluxum sustinet, neque curatur, nisi dimoto veneno ex hepate.

Praeterea quum humores, qui stasim patiuntur, tractu temporis corruptionem

facile subeant, praesertim ex bilis additamento; hujusmodi materies ad alvum propulsa alvi fluxum etiam producit.

Ex stomacho etiam, et duodeno propter vitiatam digestionem alvi fluxus venit, qui suo proprio charactere innotescit.

In morbo denique jam ad finem vertente, tum ex fracto tono nervorum, tum ex humorum corruptione, tum ex motu naturae retrogrado vitiosa ad interiora pellente, alvi fluxus vexat saepius cum ani incontinentia, qui morbi finem facit.

CAPUT IV.

MORBI CORPORIS UNIVERSALITATEM, AUT HABITUM OCCUPANTES.

Febris intermittens.

Febres intermittentes saepe in hujusce morbi curriculo se produnt, frequenter inchoant secundum stadium, in tertio etiam stadio resorpto ad sanguinem veneno observantur, rarissime autem in quarto adnotantur, postea quam materia morbifica morbum localem firmavit, atque defixa est. Primo vere frequentes sunt, et minori frequentia nunc veniunt ardente syrio; autumni tempore saepius sub quartanae rithmo procedunt.

Ii, quibus fomes febrium intermittentium ab hoc veneno fit, aut sustinetur, non habent diem intercalarem a febri liberum. Quaedam enim continuitas febris semper interest, et accessiones conjungit. Valde enim rara est tertiana simplex in hac morbi conditione, sive complica-

tione, cum saepe duplicis tertianae typum habeat; matutinis, aut meridianis circiter horis paroxismus primum aggreditur, sed elapsi paroxismi horam subsequens solet antevertere. Pulsus in statu paroxismi fortis et vehemens non est, et nunquam illam cum aliqua contractione, et tensione demissi pulsus naturam amittit, nisi quando sui juris natura facta a sanguine, et minimis vasis materiam morbificam expunxit. Perraro cum rigore et frigore universi corporis paroxismus initium habet; rigor utique interdum existit, sed vix cum frigore, atque dum aeger rigore succutitur, cutis non friget, sed calet, et aegri palam declarant se rigorem, aut horrorem illum in interno corpore persentire. Proprium autem hisce febribus est, ut paucis horis elapsis post initium earundem, atque ante statum paroxismi aeger sudet sudore etiam, qui per impetus urget. Sudor autem iste morbi characterem servat; nam viscidus foetidus est, acidum olet: remittente autem paroxismo sudor remittit. Urinae, secus ac in aliis febribus intermittentibus evenit, coloratae sunt, quin sedimentum demittant ante paroxismum, aut in paroxismi initio, et primo impetu; sed advenientibus sudori-

bus diluuntur, ita ut etiam aqueae - reddantur, maximeque si jam paroxismus aliqua in cute exanthemata efferat. Summa agrypnia, atque etiam praecordiorum anxietas vexant inter initia paroxismi, et dum primum ille se explicare conatur, haec incommoda per uberem, facilemque sudorem diminuuntur; tendines in progressu paroxismi interdum subsiliunt. Observatum autem est et frigus, et horrorem, et paroxismi explicationem, ac vehementiam esse in ratione inversa permeabilitatis cutis, ita ut iis, in quibus lympha viscida est, atque adstricta, cutis fomiti aditum non praebet, minor sit febris vehementia, atque eadem abruptis veluti paroxismis pluries intra nycthemerum etiam repetat. Tunc autem in magno vitae discrimine aegri versantur; materies enim morbifica firmiter haerens sanguini, atque intra vasa majora tumultum faciens facile mala metastasi pectus, aut caput impetit a cute repulsa.

In febribus autem, quae minorem vehementiam habent propter aegri imbecillitatem, minorem irritabilitatem, minorem etiam veneni copiam, aut ejusdem in membranam adiposam transfluxum, horrorem et rigorem aegri non patiuntur, sed diutinum pedum, atque etiam

tibiarum frigus experiuntur, atque hujusmodi febrium paroxismi aequabiliores redduntur, tertiana duplici febri in quotidianam mutata, quae contumacissima est, atque ad magnum discrimen aegrum denique deducit, nisi iterum elatae naturae vires materiam morbificam in circuitum agant, atque febrim intendant, et per continuatum recursum paroxismorum cutis reserata malignum fomitem admittat, constantesque sudores adveniant.

Paroxismi febrium intermittentium, quarum fomes est hoc malignum miasma, ea ratione, qua sudores diutius viscidi perseverant, remittunt, et aequabiliores redduntur, immo fere disparent omni horrore, atque rigore cessantibus, quando exanthemata apparuerunt. Major tunc fit urinarum aequalitas, quoad colorem, sed semper tenues sunt, et tunc morbus febris continuae exanthematicae curriculum peragit, bonaque valetudo redditur, si aeger permittat, ut per convenientes sudoris, et exanthematum repetitiones omnis materia morbifica e corpore exeat. Quod si febris intermittens non a memorato miasmate genita fuerit, et sustentata, sed una pro caussa habuerit principium illud, quod facit febres intermit-

tentes, superato morbo exanthematico solet febris intermittens redire proprio specifico remedio tunc abigenda.

Aliquando aut delirio, aut sopore etiam excitato propter vasorum plenitudinem, et cutis resistentiam, quando praesertim adest dispositio inflammatoria ex suppressa perspiratione, hae febres intermittentes similes apparent febribus intermittentibus perniciosis, cum interim et natura, et regimine multum differant. Sagax autem Medicus ex phoenomenorum, urinae, et pulsus consideratione sciet naturam morbi introspicere. Pulsus enim in febribus perniciosis saepe inaequalis est, interdum etiam demissus, sed semper mollis, et cedens est, neque cum aliqua vi contractus. Paroxismi majorem quietem relinquunt. Urinae autem parcae esse solent, coloratiores, biliosae, turbatae, atque etiam sedimentum deponentes, talesque adveniunt paroxismo declinante, neque eas ineunt mutationes, quae memoratis intermittentibus propriae sunt.

Difficilior autem res est, quando verae febres perniciosae adjunctum habent malignum illud miasma, quod purpuram miliarem facit, sed pulsuum varietas et inconstantia, sopor, qui ab aliquo deli-

rio sejunctus non est, conditio pulsus contracti, et subtensi apparens in diminutione paroxismi, atque urinarum mutationes ea indicia dabunt, quibus Medicus poterit morbi complicationem detegere.

Febris autem quartana, quam similiter hoc venenum ex parte fovet, raro simplex est, sed dupla, aut tripla intercalarium accessionum altera minore. Urinae turbatae sunt, sed procedente paroxismo tenuiores, semper floccosae, aut albidae. Sudores similes, sed minus vehementes adveniunt; dolores vagi, et inconstantes in artubus persentiuntur; semper existit aliqua continuitas febris cum pulsu brevi, et contracto. Difficilis, et contumax morbus est, in quo saepe et motus musculorum convulsivi adveniunt, et spasticae pectoris oppressiones. Hujusmodi quartana etiam per repetitas plures exanthematum eruptiones lentissime finit, et trahitur ad ver, et aestatem. Vidi pustulas non contagiosas scabiem referentes morbum finiisse: decubitus ad pulmones cum pectoris convulsionibus superveniens solet hominem enecare. Ex hydropis curriculo aegroti non moriuntur; utique tibiae interdum intumescunt cum dolore, sed aut erysipelas tibiarum gangraenosum

enecat, aut eadem phlegmasia sive potens materia morbifica, quae phlegmasiam fecit, ascendens et ad pectus translata hominem suffocat.

Erysipelas.

Erysipelas, quod unice a caussa proxima nostri morbi proficiscitur, atque tamquam larva, aut symptoma morbi habendum est, frequens nostri temporis est aegritudo, eaque consuevit se monstrare circa malleolum dexterae tibiae, aut in gena dextera; pars erysipelatosa non multum dolet ad tactum, neque valde calet, fugax saepe est, et paucorum dierum spatio evanescit in sternutationem, coryzam, aut odonthalgiam commutata, et si agatur de tibiae erysipelate, materies prompte transfertur ad pectus tussim afferens. Foeminae sub finem catameniorum, postquam vehementer atque cum impetu iidem fluxerunt, facile hoc erysipelate corripiuntur, sicuti etiam illae, quibus catamenia non amplius fluunt. Caeterum pars erysipelatosa pustulis rubris minutis aspera fit, quae in minutas squammulas cito abeunt, phlictenis vix ullis apparentibus, disparet rubor, sed

superest plerumque aliqua levis intumescentia, diu etiam durans, paullo rudius contrectata dolens. Dum evanescit erysipelas aegri interdum de quadam lassitudine, et universali corporis dolore conqueruntur, pulsus citatiores fiunt, etiam sudores adveniunt, qui si exanthemata attulerint curriculum suum perficientia, bona valetudo diu persistit; at saepius posteaquam diffusa per universam sanguinis viam materia est, et per venae sectiones diaetam, et diluentia sanguinis circuitus expeditus, et liber factus est, omne malum conquiescit. Iterum autem erysipelas advenit: tractu temporis frequentius repetit, et denique aeger deducitur ad tertium morbi stadium cum magna varietate morborum, prout venenum aut in universo corporis accubitu, aut in loco peculiari praesertim se figit. In morbo haereditario in adolescentia, et juventute primo praesertim vere pustulae rubrae prurientes, et ardentes consueverunt se monstrare, atque juventute ad virilitatem progrediente loco hujusce efflorescentiae enarratum erysipelas apparuisse observavi, atque si erysipelas apparere desinat, hujusmodi homines in magno periculo versantur, nisi a sagaci Medico provisum sit iis remediis, quae

cutim aperiunt. Malum vero, quod frequentius advenit, et morbi scenam declaratam inchoat, est fugax apoplexia.

Quod attinet ad tibiae erysipelas, adnotavi non adveniente eodem circa malleolum pollicem pedis instar podagrae doluisse, et ruborem ostendisse cum sensu cujusdam puncturae, aut etiam stuporis pungitivi. Genae erysipelas fugax esse solet, neque ordinario cutim vitiat, sed quod tibias afficit, pustulas, easque etiam confectiores porrigere solet cum subsequenti cuticulae desquammatione, atque bonum est saltem ad diutiorem temporariam judicationem, et tibiam sudare, et laminatim cuticulam decedere.

Erysipelas autem, quod notabilem faciei partem occupat, ab hoc miasmate productum, summe periculosum est; facile enim disparet, materia ad interiora capitis translata: aegri per aliquot horas fortiter delirant, sed delirium vehementes convulsiones excipiunt, quae cito mortem ut in miliari morbo afferunt.

Itaque erysipelas hujus infirmitatis proprium modo acutum, modo chronicum morbum constituit; utrumque frequentius hyeme, et vere, quam aestate se prodere consuevit, atque sine rigore aggreditur, neque pulsus tensus, et vibrans

est, sicuti olim in erysipelate observabatur, sed cum aliqua tensione brevis, et contractus. Urinae etiam saepius parum coloratae sunt, aut si coloratae fuerint, cum aliqua tenuitate nitent, et lucidae sunt.

Haemorrhagia.

Evenit haemorrhagia plerumque in tertio stadio ex miasmate sanguini inhaerente, sed et in primo stadio primum afficiens cerebrum recurrentem plethoram capitis gignit, quae per haemorrhagiam solvitur. Duplex esse consuevit caussa haemorrhagiae, aut plethora sensim genita in parte, ex qua haemorrhagia venit inducens vasorum rupturam, aut malignum miasma sanguini inhaerens, et propulsum ad varias partes, ex quibus sanguis fluere potest, qui non modo vasa diducit, et aperit, sed sanguinis portionem, cui junctum est, resolvens peculiarem haemorrhagiae caussam constituit.

Proprium autem est huic haemorrhagiae, sive ex plethora veniat, sive ex vapore quodam maligno sanguinem movente, et vasa aperiente, ut repente, et matutinis horis soleat advenire, atque

cum impetu sanguis prosiliat, varieque repetat, et subsistat.

Haemorrhagia uteri etiam, et cum vehementia redit, et profuse sanguis e naribus profluit. Ex pulmonibus fere sine tussi sanguis rejicitur varia copia, plerumque solutus. Haemorrhagiam, caephalalgiam, et pectoris oppressionem levat. Haemorrhagia uteri praesertim morbi chronici curriculum retardat, et in diutinum tempus morbi incrementum protrahit.

Haematuriam gignit sanguis ex renibus, aut vesica urinaria veniens. Haematuria renum sine incommodo vesicae urinariae, et cum sensu distensionis in renibus est, et provenit ex miasmate, quod ad renes cum sanguine fertur. Sanguis obscurus mingitur, atque interdum adeo obscurus, ut atram bilem exhibeat. Haematuria ex vesica quandoque ischuriam infert, uterque morbus per periodum redit, atque puto in vesica urinaria venas interdum varicosas reddi, atque apertas sanguinem fundere. Brevi temporis intervallo urinae gradatim naturales redduntur, postea tenues, cito subveniunt sudores, atque etiam exanthemata apparent. Conjicio igitur, ut deinde rumpantur, sicuti evenit in tibiarum varici-

bus, et in haemorrhoidibus, malignum humorem quamdam veluti phlogosim facere. venas ita constringentem, ut deinde rumpantur, deinde translatum aliorsum ferri; aut venenum sub vaporis specie sanguini cohaerens ad renes appellere.

Rheumatismus.

Sub specie rheumatismi malignus humor corpus musculi afficit; pars usque ad musculum contrectata tunc dolet, atque dolor interdum vehemens est etiam cum quodam ardoris sensu, alias torporis, et aurae frigidae. Partem, quam prehendit, diu etiam tenet hic rheumatismus, atque etiam ad annos persistit modo mitior, modo vehementior. Aestate mitior est, et longe minus periculosus. Si cesset dolor, atque ad pectus transferatur, malum est, praesertim si post maligni humoris translationem pulsus sint debiles et inaequales.

Partes, quas frequentius impetit venenum sub specie rheumatismi, sunt musculi humeri dexteri, abdominis, et pectoris in sinistro latere. Elevatio, et retractio humeri sine gravi dolore fieri nequit. Si pars immota persistat, neutiquam dolet, nisi vehementer comprimatur; sed

cutis partis dolentis musculo superposita non dolet.

Dolor hic per noctem calore lecti multum intenditur, atque una torporem quemdam pungitivum affert cum aliqua impotentia partem movendi; frigori exposita pars non amplius dolet, eademque ratione se habent dolores abdominis ita, ut aeger exilire lecto debeat ad pacem dolorum obtinendam.

Hujusmodi rheumatismus solvitur nato morbo acuto, qui exanthemata afferat. Vidi vere aegrotum sanatum fuisse per pustulas, et vesiculas in parte dolente erumpentes: vidi etiam in ea parte apparuisse speciem purpurae ardentis cum vesiculis, et cuticulam instar ambustionis elevantis. Pulsus in parte rheumatismo affecta semper brevis, obtruncatus, et contractus est. A spirituosis morbus intenditur, uti etiam oleosis, atque narcoticis; fotus mitiorem morbum faciunt, atque resolutionem promovent, qua veniente febris se se explicat.

Hujusmodi torpor rheumaticus interdum est cum tendinum subsultibus, atque chronicus adducit partis imbecillitatem, et tremorem. Stupor etiam pungitivus in digitis manuum frequens est.

Suspicor hunc rheumatismum tantae durationis pendere ex materia morbosa, quae tenet telam cellularem musculorum. Remediis discutientibus dimota ex humero haec materies, si per universum corpus non se diffundat, in motum acta musculos colli impetit, tunc collum prompte intumescit, et strangulatum infert, si vero capitis interiores partes petat, prompte affert mentis alienationem; alterius diei spatio translato ad pulmones vitioso humore, sine ullo dolore ex angustia pectoris, et stertore cito adveniente, vel ut evenit in angina gangraenosa ad pulmones descendente, homo enecatur.

Podagra, et Arthritis.

Transacta juvenili aetate, in robustis densam cutim habentibus, et in quibus jam a diutino tempore venenum hoc existit, morbus hic aut mentitur podagram, aut vere podagrae se jungit tanta cum plurium phoenomenorum similitudine, ut aliquando aegre decerni possit, num de morbo complicato cum podagra, aut de eodem larvato agatur, eo vel maxime quod cum aliis remotis temporibus poda-

gra legitima * occurreret, nunc a sua veteri norma plerumque recesserit, ita, ut opiner ex novi morbi additione alio modo podagram procedere.

Quae interim observavi haec sunt. Rarius tumet digitorum articulatio, sed frequentius mollis, et lateralis digiti pars magis rubet, et tumet perniones exhibens, cum dolore interdum lancinante, vehementi, minus distensivo, etiam cum aliquo ardoris sensu. Parum firmus dolor est, sed ad aliam partem se transfert, uti ad malleolum, ad genu, ad lumbos, atque brachium impetens, non articulationem, sed medium brachium vexat. Hic autem dolor cessans conversus est in fortem odonthalgiam, oculorum ruborem, aut phlogosim faucium; eae autem mu-

* Podagrae caussam nonnulli in stomacho quaesierunt, sed ut mihi videtur, non aequa ratione. Podagra enim eos aggreditur, qui stomacho valent, atque robusti sunt, densamque cutim habent, similemque lymphae conditionem. Nonne potius repetenda erit podagra ex peculiari quadam acrimonia ex bile oriunda, quam natura urget per telam cellulosam nervorum ad cutim, atque praesertim supra periosteum? Tophi podagrici, uti etiam quaedam falsa suppuratio in podagra confirmata eveniens, quae rupta cute foras venit, semper supra periosteum est, non infra, neque ossa laedit. Podagra falsa, sive quae in nostro morbo evenit, cutim ipsam, non autem telam cellulosam periosteo superpositam solet afficere. Id ne contingit, propterea quod miliarium adjunctum venenum materiam morbificam semper urgeat ad cutim?

tationes in legitima, simplicique podagra non observantur.

Vera etiam phlogosis erysipelatosa cum minutis pustulis rubris prope malleolos occurrens, et disparens, conversa est in dolorem podagricum pollicis ejusdem pedis, ut alibi jam adnotatum est.

Dum autem resolvitur podagrico modo tumens pars, et pustulae rubrae, aut vesicae in affecta parte erumpunt, et postea cutis desquammatur, quosdam constans, viscidus, foetidusque sudor pedum ab hoc malo liberavit. Quando ad manus venenum transfertur, non carpum solum, sed et metacarpum dolor, et tumor vexant. Ad pulmones delata materia morbifica, non dispnoeam cum stertore, sed summam cum sibilo pectoris angustiam infert. Si vero ad caput feratur, non somnolentiam, sed desipientiam, aut delirium, aut apoplexiam convulsivam promptam gignit.

Caeterum pulsus, qui in podagra brevis utique, sed potius elatus, (nisi vehementia doloris pulsum contrahat), et cum quodam nisu tensa arteria propellit, aut propellere conatur, in hac podagrae specie brevis, et contractus est, neque arteria sub digitis incrassata persentitur, immo quando dolor urget celerior fit, minor,

et ex persistente in extremo puncto sistoles contractione, fere digitum fugiens. Urinae autem et copiosae, et tenues esse solent, etiam aqueae, et plerumque instar seri lactis crassioris, aut tenuioris turbatae.

In hujusce podagrae curriculo, quod varium, et contumax non raro est inordinate repetens, aut mitescens eo tempore, quo dolor cum rubore imminuitur, pulsus expeditiores fiunt, etiam majores. Tunc urinarum copia diminuitur, atque urinae interdum apparent * sedimentum album deponentes cum aegri emolumento, quod ad dolentem, et tumentem partem attinet, sed eam speciem crisis subsequuntur sudores viscidi, foetentes, et miasmatis ad aliam partem translatio; iis vero temere dispulsis, cum majori vehementia statim morbus repetit.

Si materiae morbificae copia pauca sit, etiam exanthemata foras veniunt, quorum eruptio maxime utilis est, atque aliquando a morbo liberat, sed plerumque propter humorum visciditatem, et densitatem, vix extricari malignus humor potest, aut in

* Urinae vero turbatae, crassiores, etiam sedimentum album, aut albo-roseum deponentes, dependent ex lympha, et muco, ut opinor, propter magnum affrictum resolutis, et eam mutationem adeptis, qua pus aemulantur.

cute subsidet, aut denuo sensim resorbetur novas morbi accessiones daturus, aut eum inducturus statum, qui ad tertium morbi stadium pertinet.

Diutissime morbus trahi solet; podagra demum silet, atque post multas vicissitudines, primum in artubus materia defixa phlegmasiae speciem facit, aut in corpore cutis omnem perspirationem tollit, ita ut denique ex pulmone lympha, densoque sanguine repleto, ex syncope convulsiva propter difficilem in pulmone humorum circuitum aegri pereant.

Plura similia habet arthritis, majorem vero dolorum fugacitatem exhibet, at neque per paroxismos progreditur, sicuti progredi solet hujusmodi podagra. In arthritide praeterea articulationes solent tumere, atque vario dolore distendi. Evidentior, atque constantior in arthritide febris est, quae artus denique consuevit liberare, facile autem sub febris catharralis specie paullo vehementioris morbus progreditur, sed pulmone liberato, materia morbifica iterum ad artus transmittitur, atque haec calamitosa morbi positio ad plures annos aegrum male torquet, donec pectus firmiter obsidens, aegrum jugulet. Si malignus humor ad cutim feratur, nisi tenuitatem humores acquisierint, atque

cutis pervia extiterit, plerumque aegrum interimit eo modo, qui traditus est tractatione de Miliaribus §. 101, ad quem mitto lectorem.

Phlegmasia.

Phlegmasia, quae nostrò mòrbo supervenit, fere semper, non aequaliter totum corpus occupat, neque universale anasarca constituere solet, sed alteram plerumque corporis partem, et saepius dexteram tenet. Si morbus ad superiores partes ascendat, brachium dexterum phlegmasia corripitur, sed sinistrum quam saepissime macilentum persistit.

Haec phlegmasia tertii, et quarti stadii morbus est, sive successio morbosa, quae haberi debet tamquam metastasis materiae morbificae, quam natura in tela cellulosa, et membrana adiposa deposuit, atque consequi solet aut jamdudum obturatam cutim, aut morbos pectoris, atque etiam abdominis, quorum occasione valens natura superiores partes liberat, atque per telae cellulosae viam ad inferiores partes pellit.

Sanguis progressu temporis tenuior redditus, atque lympha, quae corruptivam

indolem acquirit, eam accumulant in corpore humano seri copiam, quae a natura in inferioribus artubus colligitur per telam cellulosam ad inferiores partes translata.

Quandoque etiam evenit, ut materia morbifica, si praesertim bili juncta sit, per sanguinis viam circumacta a provida natura mittatur ad tibias, productura si extus, et foras veniat, erysipelas; si vero profundius subsideat in corpore cutis, et membrana adiposa, phlegmasiae speciem constituit.

Quo vetustior morbus est, aut ad phlegmasiam opportunior est aegri habitus, majorem, aut minorem tibiae partem occupat, vel tantum circa malleolos apparet.

Pars, quae tumet, semper tangenti digito resistit, foveam facile non recipit, ad contrectationem dolet, rubet etiam; alias autem nullus rubor adest, et parum etiam dolet, nisi fortiter comprimatur, prout in extima cute, vel in cute magis, aut minus profunde, vel in sola membrana adiposa materia morbifica deponitur. Consuevit potius in malleolo externo apparere interno minime tumente: ad latus interdum externi malleoli recta fere se porrigit juxta collum pedis, sed collum pedis aedematoso tumore non cingitur;

in collo autem pedis, atque in dorso ejusdem parte vix tumente, eodem tempore apparent maculae rubrae, aut minutae rubentes pustulae, et prurientes, atque etiam ardentes, quas maculas rubras immutatas per plures menses perstitisse observavi. Fere ex toto disparet quandoque haec phlegmasia, atque subtus dolent digiti; multum autem dolere solet lateralis externa planta pedis, qui dolor intensus redditur si in incessu planta pedis distrahatur.

Haec phlegmasia, quae contumacissima ordinario esse solet, ad tibiam infra suram, atque successive ad coxam, superioresque partes per temporis variam diuturnitatem ascendit, atque brachium ejusdem lateris etiam corripit. Id autem peculiare habet, ut ad superiores ascendens, in inferiori parte diminuatur, mediaque etiam coxa, et brachium magis intumescant, atque in ea parte, quam occupat, vario, et inaequali modo procedat. Dissimili plane ratione ab illa, quam servat leucophlegmasia proveniens, aut ex viscerum obstructionibus, aut ex venarum pressione, aut ex serosa, ut dicitur, humorum colluvie, quae ad superiores partes sensim ascendit, quin inferiores dimittat. Tumor circa malleolum, et

qui praesertim ruborem comitem habet, ad pollicem etiam transit, acutosque dolores facit recurrentes podagram stimulantes cum digiti rubore, et secedente deinde cuticula; sed hoc tumore potius mollis digiti portio, et lateralis interna, quam articulatio distenditur.

Posteaquam diu hujusmodi phlegmasia perstitit, immo sensim aucta est, rubore aliquo tumefacta pars veluti splendet; alias pustulae, sive vesicae se efferunt, quae aperte viscidulam lympham fundunt cum aliqua intumescentiae diminutione: sed hujusmodi hiantia vasa demum renuunt ulterius plorare, neque expectandum est, ut per hos hiatus plena fiat collecti seri evacuatio, obtineaturque tumefactae partis subsidentia; neque alium exitum habent ab arte institutae scarificationes, quas facillime tumentis partis gangraena consequitur.

Sive sponte sua ex corruptis humoribus, atque iterum in circuitum actis, sive artis actione, quae fotibus, et tonicis curaverit tumorem dispellere, materia morbifica revehentibus vasis resorpta, facile irruit in pectus, aut caput dispnoeam cum sibilo facile inferens, aut apoplexiam convulsivam, aliumque gravem capitis morbum. Idem etiam eventus sequitur ex de-

bilitata vi vitali propulsionem sanguinis potissimum sustinente. Frequenter etiam evenit, ut gangraena in tumente parte nata hominem perdat.

Si phlegmasia magna non fuerit, valensque adhuc natura extiterit, tumor resolvetur, et febris exanthematica cum sudoribus excitabitur suum odorem olentibus, atque symptomatum, quae propria huic exanthemati sunt, explicatione. Haec exanthemata si bene procedant salus poterit obtineri. Aliquam etiam nec exiguam, non autem integram morbi judicationem successisse vidi per pustulas, et vesiculas sibi ordinatim, et per plures vices succedentes, aut per ulcuscula tibiarum diu manantia. Omnis autem, quae substitit in tela cellulosa vitiosa materia per hanc crisim non evacuatur, sed requiritur, ut superstes materia per factas apertiones, propter visciditatem non exitura, resolvatur, et in circuitum agatur, atque per exanthemata in universo corpore eliminetur.

Talis autem, quam commemoravimus, per exanthemata in tumente parte nascentia judicatio, utilis non erit, nisi pars tumens caleat, et sudet, atque febris judicationis actum sustineat.

Quae pertinent ad progressum hujusce

febris exanthematicae, atque judicium de ea ferendum, deducenda sunt ex iis, quae suo loco tradita sunt. Animadvertemus interim in hac phlegmasia, non evenire urinae suppressionem, sed eam saepius, licet inordinate, copiosam, et tenuem esse interdum turbatam instar seri lactis, quando nimirum fit in minimis vasis affrictus. Pulsus autem in hac aegritudine, non modo est juxta indolem morbi, sed saepe inordinata febris quotidiana adjungitur, quae dum impacta materia resolvitur et resorbetur, evidens capit incrementum.

Quod si constans phlegmasia a tibia ad femur, deinde ad superiores partes procedat, ea plerumque dexteram, aut sinistram partem corporis tenet altera interdum integra. Morbi duratio diutissima est, febris variat, pars phlegmasia detenta modo calet, modo friget, etiam sudat sudore primum calido, dein frigido, et recurrente; rubores etiam inordinati in tumente parte apparent, et fugaces. Pustulae, quae in phlictenas abeunt, nascuntur, quae sine vera utilitate, ut diximus, viscidam lympham fundunt. In tibiis autem facile gangraena nascitur, sed licet ea aegrum non interimat, aucta sensim in superioribus partibus phlegmasia, denique post varios dispnoeae, et lipothymiae in-

sultus, non quidem vero catharro suffocativo, sed ex syncope pereunt sine stertore: semper autem accedentibus motibus convulsivis in facie praesertim conspicuis.

Perniones.

Perniones pueris, quos olim frequenter vexabant, nunc temporis magis parcunt, sed et in iis observantur qui jam aetate provecti sunt, et huic incommodo non subjacebant adhuc pueri, aut adolescentes. Ii autem huic malo magis obnoxii sunt, quibus cutis mollis, et laxa est, et tenuiori cuticula tecta. Nonnullis eorum, qui venenum morbi in corpore habent accedente autumno perniones adveniunt, qui persistunt usque ad aestatis initium.

Lateralem, atque extremam potius digitorum partem, aut internodia, quam articulos occupant, non digitus aliquis, sed plerique laborant, excepta vola manus: in tumorem altum affecta pars non attollitur, ea livet, atque ad tactum non multum dolet. Per calorem lecti perniones pruriunt cum ustionis, aut puncturarum sensatione. Quando incipit eorum resolutio minutae pustulae iis etiam supercrescunt, quae in squammulas abeunt cum

intolerabili pruritu. Non suppurant, sed quandoque exulcerantur.

Observatum autem est per constantiam pernionum, atque eorumdem exulcerationem bonam deinde per reliquum anni tempus valetudinem perstitisse, iis autem repercussis, aut non venientibus, graves morbos hyeme, aut subsequente vere productos fuisse, qui malignum miasma in corpore restitisse significarunt.

Pluries animadverti morbum nostrum, qui jam curriculum aliquod etiam cum gravibus symptomatis perrexerat abrupto per advenientes perniones curriculo, in foeminis autem haemophtoem conticuisse. Hanc conticescentiam habuisse interdum observavi.

Ex his concludere licet perniones habendos interdum esse tamquam metastasim vitiosi humoris, hac ratione per aliquod tempus quiescentis, atque in iis, qui pernionibus ex veteri consuetudine, et ordinaria caussa frigoris corripiuntur, alia ratione morbum procedere, propter hujusce morbificae materiae admixtionem.

CAPUT V.

DESCRIPTIO MORBI COMPLICATI.

Complicatio cum variolis.

In complicatione cum variolis vomitus, et lumborum dolor vix adveniunt; eruptio lente perficitur: urinae sunt saepius aqueae: pustulae non acutae parum rubent, statim pruriunt, et perforatae complanantur, serosae lente, et difficile suppurant. Sudor primis diebus, deinde nullus; saliva viscida: suppuratio ultra consuetum terminum protrahitur, atque pustulae maturae non disrumpuntur propter densam cuticulam; absoluta suppuratione rubor quidam in mento, et genis; crustae difficile, et lente separantur. Pustulae majores, et copiosiores in dextero latere, quam in sinistro: dexteri lateris cutis etiam magis tumet. Interdum confecto curriculo variolarum, alia excitatur febris, quae cursum purpurae miliaris emetitur.

Cum morbillis.

In morbillorum complicatione tussis vehemens, et fere perpetua est cum magna praecordiorum angustia, pectorisque oppressione. Morbilli inconstantes sunt, nunc apparentes, nunc disparentes; eorum materia ad pulmones repulsa, cito peripneumoniam infert. Repetentem pluries fugacem hydrophobiam observavi prout morbilli subsidebant, aut se efferebant. Aliis repente doluit vehementer abdomen, atque cruentae dejectiones advenerunt, quae mortem attulerunt.

Cum igne sacro.

Similis exanthematis inconstantia evenit si morbus complicatus fuerit cum igne sacro. Diutissime trahitur morbus, atque ignis sacri depressionem dispnoea laboriosa, et convulsiva prompte sequitur.

Per advenientem sudorem semper sublevantur, atque ex minimo errore, aut sudorum negligentia, in suffocationis periculum aegri conjiciuntur.

Cum varicella.

Id peculiare in varicella observavi, quod

ad duodecim, aut quatuordecim dies morbus perduret, lente fiat suppuratio, atque pustularum, sive potius vesicularum cuticula rubeat, atque symptomata nunc lassitudinis, nunc motuum spasmodicorum frequentia sint. Hujusmodi varicellae exanthemata lente exsiccantur, atque instar variolarum foveam relinquunt.

Cum scarlatina.

Scarlatinae cum hoc morbo complicatae curriculum varium est, et inordinatum modo citius, modo serius post hoc nempe, aut decem dierum intervallum scarlatina apparet, tussis minus frequens et molesta est, quam in simplici scarlatina; phlogosis faucium solito vehementior est, et non modo rubore suffunditur cutis, sed etiam pustulae minutae, rubrae, quorum quaedam in minutas vesiculas abeunt, apparent. Pulsus frequentia longe minor est, quam in simplici scarlatina, minus etiam calet cutis, sed inordinate sudores adveniunt, et redire perseverant, qui in legitima scarlatina post factam eruptionem solent intermittere. Si sinistrum brachium demissum pulsum habuerit, in dextero latere et major est cutis plenitudo, et major eruptio; fugax saepe est haec

eruptio, atque se se abscondit: tunc autem pulsus contracti, et minus frequentes sunt, atque aegri nunc delirant, nunc sunt somnolenti. Facile etiam in speciem fugacis hydrophobiae incidunt, aut doloribus intestinorum tentantur cum alvi fluxu seroso.

Prompte in hac complicatione nascitur impetus ad caput, atque pluries repetit ex naribus haemorrhagia frequentius ex dextera parte. Subsidente exanthemate etiam in hydropem acutum incidunt, sed cum in legitima scarlatina totum fere corpus cito emphysemate, ut ajunt, aequaliter intumescat; haec phlegmasiae species emphysematica inaequaliter corpus occupat, atque locum unum relinquens ad alium transfertur; urinae saepissime sunt pallidae, atque etiam aqueae, et copiosae, sed dum phlegmasia emphysematica corpus intumescit, parcissimae evadunt obscuri coloris, soluti gangraenosi sanguinis ramenta ostendentes.

Citissime ex delirio et convulsionibus, rubore brachiorum, atque colli evanescente, correpti intereunt, atque vidi post mortem brachia, quae detumuerant, iterum cum aucto etiam calore brachii intumuisse. Translato etiam ad pulmonem veneno, cito ex peripneumonia maligna

moriuntur. Ii non servantur, quibus repulsa materia alvi fluxum sustinet.

CAPUT VI.

DESCRIPTIO MORBI HÆREDITARII.

Morbi haereditarii phoenomena haec sunt: crusta lactea vix ulla advenit, dentes cum vomitu, et stomachi subversione protruduntur; faciles ad convulsiones sunt pueri, doloribus intestinorum post somnum obnoxii, qui subitanei et vehementes sunt in delirium, et furorem quandoque eosdem agentes, qui brevi mitigantur. Oculorum rubore, et lippitudine quadam contumaci tentantur, sed ea praecedere solent recurrentia hordeola, muscae ante oculos obvolitantes, atque palpebrarum, et oculorum subsultus. Si hujusmodi morbus oculorum post pubertatem cesset, recurrit haemorrhagia narium, pallidi esse solent, atque, si sanguinei fuerint, color faciei est mutabilis. Post somnum vultus plenior et rubicun-

dior est, et visionis etiam phoenomena, ut muscarum obvolitantium, subitaneae caliginis, et scintillarum ante oculos per noctem apparentium, inter pueritiam, et pubertatem apparent. Caeterum observavi etiam tum in pueris, cum in adolescentibus, cerebralibus jam nervis aliquantum affectis, et inaequalem vim musculorum faciei afferentibus varias ex voluntate non pendentes contorsiones in facie proferre. Pueri ex frigore suscepto in scarlatinam incidunt. Auris sinistra, et pulsus sinistri status, etiam in ipsa pueritia latentem labem declarant. Hyeme ex levi caussa raucedinem, aut tussim contrahunt; dentes etiam sine praecedenti odonthalgia carie corrupti, et nigri evadunt: voraces sunt, et iracundi. In adolescentia praesertim ii, in quibus celerior fit morbi progressus, impetigo crustosa ad pinnam narium se prodit, deinde non dissimilis impetigo in tibiis, et infra genu apparet, quae ad scrotum transit. Circa aequinoctium vernale, et autumnale reverti solet post pubertatem quaedam falsa gonorrhaea; rubet nimirum per aliquot dies praeputium, et glans sebum etiam viscidulum, et foetidum extillans cum sensu veluti cujusdam ardoris, et successione levis excoriationis, atque pustulae unius,

alteriusve apparitione : hoc incommodum aliquot dierum spatio sponte cessat. Vidi etiam in ipsa pueritia pustulas in universo corpore scabiem referentes , et ulcerosas praesertim in tibiis. Perniones livescentes , et diuturni extrema digitorum saepe occupant , et perraro in suppurationem veniunt, et nasi extremitas diu etiam rubro livet. In adolescentia impetigo pruriginosa , et ardens primo vere in dorso manus , et extremo brachio frequens non est , sed frequentior in juventute.

Haemorrhagia narium saepe repetit in adolescentia primo vere , et aestate , uti etiam cephalalgia varie recurrit potissimum post insolatum. Adolescentibus , et juvenibus primo vere familiaris est quidam repentinus , et cito disparens universae faciei rubor cum capitis interna perturbatione, atque juvenibus facile pedes frigent , post prandium caput incalescit, ad caminum paullo proximiori facie stare nequeunt, quin iis caput perturbetur. Urina frequenter paullo tenuior est cum spuma albicante, in adolescentia animi inaequalitas summa , et facilis est tristitia sine caussa. In foeminis leucorrhaea praecox ; praecocia etiam esse solent catamenia , et aliquando eadem intra mensem bis veniunt, et in quibusdam non-

dum pubertatem adeptis libidinis sensus oritur * ; mammae autem suo tempore inaequales protruduntur, atque sinistra solet jam plenior extare, dextera vix protuberante. In masculis etiam ad venerem impetus quidam urget ita, ut vix ac ne vix nondum quidem pubertatem assecuti manustuprationi indulgeant. Urinae, quae tenues in pueritia, et prima adolescentia esse solent, sub finem adolescentiae, et in juventute matutinis horis mingi solent turbidae, et fere lixiviales, quae cito corrumpuntur, atque foetentes evadunt. Sponte autem, et sine ulla caussa in adolescentia, et juventute, silente praesertim ea, quam memoravimus, falsa gonorrhaea, testiculus praesertim dexter repente intumescit, et dolet, superstite quadam testis plenitudine et intumescentia, quae veneris usu superatur. Caeterum post adolescentiam vari lentissime suppurantes, aut mucum viscidum fundentes frontem occupant, atque succe-

* Cum in primo morbi curriculo a cerebro per spinalem medullam quadam etiam libertate miasma progrediatur, stimulo suo urget majorem spirituum animalium copiam ad uterum, quae catamenia, et libidinis sensum urget praecocius, atque frequentiora deinde catamenia reddit: anne in hac accumulatione spirituum animalium intra uterum, quae sensim quamdam plethoram ibi gignit, collocanda est caussa periodi fluxus menstrui?

dentibus annis vera gutta rosacea faciem foedat; in aliis autem praesertim primo vere macula rubra pustulosa, et crustosa contumacissima in altera gena apparet, atque illa speciatim, cui in respondente brachio pulsus elatior est. In quibusdam adolescentiae tempore pustulae nascuntur crustosae in capite, in aliis autem faciei cuticula farinae instar pulverulenta secedere pergit. Ultimo demum addam in haereditariae dispositionis confirmationem non modo aurem sinistram, et pulsum sinistri brachii peculiari mutatione morbi conjecturam dedisse, et ab ipsa infantia *, sed cum in parentibus ex peculiari conformatione non auris sinistra, et brachium sinistrum, sed dexteri lateris auris, et brachium consuetam mutationem monstrarent in parentibus, eadem etiam aberratio in filiis visa est. Morbus autem varia ratione se explicat, nunc citius, nunc serius pro varia miasmatis quantitate, atque cutis textura, atque modo quaedam, modo alia symptomata affert ex iis, quae praecedere solent

* Pluries vidi matris jamdudum hac infirmitate detentae progeniem etiam in aetate unius, alteriusve anni non modo exhibuisse recessum auris sinistrae, et brachii sinistri gracilioris, et pulsum demissum habentis, sed et crus ejusdem lateris sinistri cum respondente lumbo crassius, et plenius.

morbum exanthematicum, quod stadium cum ingressus est simili ac acquisitus morbus ratione procedit. Ii autem adolescentes, qui sanguinei sunt, atque aestate aut parum, aut nihil sudant, citius in morbum declaratum incidunt.

Morbus vero non solet in sua plenitudine explicari nisi post adolescentiam, atque saepius post juventutem, et quidem multiplici ratione pro varia aegrorum conditione, variaque miasmatis agentis positione, sed semper post prima explíciti morbi symptomata semper primum advenit morbus exanthematicus, aut saltem adest morbi exanthematici tentamen, atque post hoc tempus, sicuti dictum est de acquisito, morbus haereditarius progreditur; si morbus exanthemata non proferat, solet syndrome malorum per febrim intermittentem incipere. Quemadmodum autem vita minus exercitata, et vini abusus morbi progressum, et explicationem accelerant, ita multum retardant a vino abstinentia, victus ex vegetabilibus, et forte corporis exercitium; quorum actione fit, ut haec labes jam ab infantia et pueritia designata incommoda non afferat homini, nisi quando jam ad virilitatem pervenit.

Comparatis diligenter observationibus

perspicio sive ex patre, sive ex matre haereditariam hanc labem transmitti.

Triginta circiter et amplius ab hinc annis rariora se se offerebant exempla, sed ea a decem circiter annis adeo frequentia evaserunt hujusce infirmitatis sive a parentibus transmissae, sive per consortium occasione febris exanthematicae evidenter acquisitae, ut pauci nunc se se offerant aegri, et alio morbo correpti, qui non praebeant evidentia existentis hujusce mali documenta.

Diligentiores fuimus in iis omnibus enarrandis, quae ad haereditarium morbum pertinent, ut nullum eorum, quos observavimus, effectuum praetermitteremus; animadvertendum autem est non omnes quidem in singulis videri, sed pro singulorum dispositione, et conformatione, vivendique genere alios in aliis diversimode observari.

CAPUT VII.

ORDO SUCCESSIONUM.

Auris sussurro disparente vehemens cephalalgia.

Artuum dolores se abscondunt, et materia morbifica pectus invadit.

Anginam ex adhibito purgante disparentem sequitur dolor stomachi, aut dolor pectoris cum sensu aurae calidae descendentis.

Anorexiam per datum eccoproticum sublatam statim secuta est intumescentia abdominis cum aliqua tensione dolorifica.

Arthritis, et lumbago quiescentiam saepe faciunt aliorum malorum.

Vir sexagesimum sextum annum agens per tres menses queritur de quadam abdominis inflammatione molesta, advenit erysipelas in tibia versus malleolum, quae cito disparet, et statim excitantur dolores vehementissimi intestinorum, sive enteritis gangraenosa, quae cito hominem sustulit.

Dissipata arthritide in tibiis statim nata est mania.

Instar aliorum phoenomenorum fugax artuum imbecillitas interdum est.

Brachii sinistri torpor cum sensu puncturarum, et stuporis pungitivi conjunctus disparet, et statim caput intus, et extra dolet doloribus fugacibus; dolet et stomachus; similiter vigilia, inquietudines, et subsultus tendinum in brachiis.

Brachii tumore emphysematico cum dolore conjuncto per fotum resoluto statim natae sunt convulsiones in musculis faciei, deinde venenum cum sensu caloris ad abdomen descendit. Ventriculum affecit, et oesophagum, unde incredibilis furor aegri, mentis tamen usu remanente cum mordendi desiderio, animique abjectione ita; ut quodcumque foret assumendum; eo assumto statim se moriturum profiteretur. Translato maligno humore ad abdomen, atque ita permanente cessant symptomata capitis externa, pulsusque aequales redduntur. Gravia incommoda stomachi disparent adveniente manus aliquo tumore cum livore, perniones referente, et musculorum brachii tremore.

Calcanei dolor jamdiu perdurans cum disparet, ascendit ad genu, deinde ad

pectus, et lethalem peripneumoniam affert.

Caephalalgia vehemens mutatur in dolorem stomachi, atque hic transit in dolorem intestinorum.

Post phoenomena ordinaria capitis statim colica stomachi, et intestinorum orta est.

Dolores vagi cessant oborto dolore in calcaneo dextero, qui durat per duos annos, hoc disparente redeunt dolores cum febre.

Haemicrania cessante gena ejusdem lateris intumuit, et disparente iterum rediit.

Dolor capitis cum aliquo sensu vertiginis, et sanguine ex naribus, solvitur per apparentem ruborem in labio superiore, et extremo naso; qui mutatur in crustas obsidentes pinnam dexteram narium.

Lateris sinistri dolore evanescente orti sunt dolores lancinantes capitis, atque iis disparentibus excitata est febris intermittens, quae iterum siluit redeunte lateris dolore.

Materia morbifica diu permanet in aliqua parte, praesertim si muco inhaereat, sed tandem eam partem deserit, atque ad alium locum transfertur. Sic phthysi-

cus, et haemophtoicus convaluit, sed venenum ad caput translatum subito magnam visus debilitatem intulit. Vidi etiam per menses intestina affecisse, deinde illa deseruisse, atque a sanguine resorptum, caput, fauces, pulmones petiisse, aut dirum exanthematicum morbum dedisse.

Dolor ad scapulam evanescens parit vertiginem, atque ea cessat redeunte dolore.

Dolor ischiaticus prompte ad alterutrum brachium salit cum aliqua articulorum, et brachii intumescentia, sed cito etiam in hac parte disparet.

Dolor musculorum abdominis facile ad latus sinistrum pectoris ascendit, atque ex eo loco gradum facit ad dorsum.

Viro cuidam, cui dolebat malleolus cum aliquo rubore, accidit, eodem disparente, ut brevissimo temporis spatio doleret lateralis externa capitis pars cum ustionis sensu, atque eadem nocte capilli eo loco deciderunt.

Dolor ischiaticus in ischuriam contumacem convertitur.

Frequenter autem succedanei effectus sunt dolor in genu ejusdem lateris, dispnoea, tussis, et oculorum rubor.

Dolor stomachi cessat oborto dolore in sinistro genu.

Dolor stomachi punctorius in gravativum mutatur.

Dolor stomachi, qui per annos etiam vexavit, cessat adveniente quadam rigiditate tibiarum per annum, et ultra; revertitur ea diminuta, sed hac iterum aucta cessat dolor stomachi, permanent autem auris sinistrae, et brachii sinistri mutationes.

A pluribus mensibus foemina patitur rigiditatem tibiarum, et frigus, cessantibus omnibus stomachi, aliisque incommodis, ita ut videatur venenum in musculis tibiarum collectum.

Dolor stomachi transit in oesophagi constrictionem, et phlogosim faucium, atque vicissim ex phlogosi faucium oesophagi constrictio sine ardore, postea dolor stomachi cum ardore sequitur.

Dolor stomachi cum magna agrypnia, et deglutiendi difficultate evanescit translato veneno ad caput sine capitis dolore; magna mentis confusio cum vertigine et aurium sonitu evenit, neque caput moveri poterat sine animi defectione.

Nullae frequentiores mutationes aliorum malorum succedaneae, quam stomachi dolor, alia mala excipiens.

Dolor sterni cum aliqua intumescentia mutatur in tumorem genae dexterae prope

pinnas narium, hic transit in ruborem oculi sinistri, atque hic remediis dispulsus dedit per plures dies vertiginem, et mentis perturbationem cum metu syncopes, aut apoplexiae, quod phoenomenum cessavit oborta vehementi sternutatione, et recurrente dolore sterni.

Gena sinistra tumet, et profunde dolet, sed sine apparente rubore; hoc tumore resoluto gravis angina suboritur, rubor in altera gena existens, et evanescens in homine bilioso mutatur in soporem.

Gastrodyniam excepit haemorrhagia uteri, sed ea rediit cessante haemorrhagia.

Curata laxitas gingivarum scorbutum referens remediis tonicis, et repellentibus subito perturbationem capitis, et caephalalgiam attulit, idem etiam pluries evenire vidi, si rubor oculorum dispellatur repercutientibus.

Impetigo manus si disparet, caput afficitur, et mens submovetur. Eo tempore magna irascibilitas; evanescente impetigine manus, sudoribusque non amplius excultis ad tibias translato veneno phlegmasia dolens in utraque tibia, dextera tamen magis tumente, licet impetigo major esset in sinistra.

Lippitudo evanescens in magnum periculum conjecit aegrum, suborta apoplexia, aut gravi dispnoea.

Leucorrhaea diminuta iterum apparent prima incommoda, odonthalgia recurrens, aut tussicula. Haemorrhoidum fluorem album disparentem consecutus est sensus puncturarum in labiis, et genis, deinde successit febris exanthematica.

Fluor idem albus cum pruritu cessans dedit febrim intermittentem, quae non cessit cortici peruviano.

Lene epispasticum brachio applicitum odonthalgiam sedat, quo neglecto redit. Tandem epispasticum attrahit in partem inferiorem brachii maculam rubram erysipelatosam oblongam: instar ecchimosis tumet pars, et dolet, et aliquantum ardet, sed pustulae nullae elevantur: disparente hac phlogosi, nunc tussicula, nunc dolores intestinorum, aut lumbago cum parva febri; ergo odonthalgia, tussicula, lumbago, phlogosis faucium, dolores intestinorum, et macula erysipelatosa, quae duorum, aut trium dierum spatio evanuit, ab eadem caussa sustinentur.

Odonthalgia diminuta dolores in externo pectore, et brachii excitati sunt.

Odonthalgia in latere sinistro ex dato

eccoprotico evanescit, et advenit tussis, alias similiter pertracta dedit subito dolorem lateris sinistri.

Odonthalgia in ruborem prope pinnas narium, et hic cito transit in dolorem stomachi.

Odonthalgia facile ad pectus, et a pectore ad caput ascendit.

Obalgia quievit oborto dolore capitis in fronte, qui sine apparente rubore dolorem tamquam ex imposita lamina ignita referebat, atque hujusmodi dolore evanescente excitatus est dolor stomachi, et tussicula.

Videtur primum corticem pulmonis attingere, et extremitatem pulmonis, inde inspiratio consuevit fieri major, atque vestes angustiores sentiuntur.

Pustulis fatuis, quae jam a quatuor annis in brachiis, coxis, et tibiis persistebant, aliqua ex parte evanescentibus statim suborta est tussis, ea superatur calore lecti, et aliquo nato sudore, iterumque apparent pustulae fatuae.

Disparentes per eccoproticum pustulae, quae in cute existebant, ex usu purgantis dolorem intestinorum inferunt, atque sensum ardoris in intestino recto.

Perniones tota hyeme perdurantes sedant stomachi dolorem, sed iis exeunte

vere omnino resolutis, et evanidis, redit dolor stomachi.

Pernionibus similiter evanescentibus dolor pectoris in sinistro latere statim advenit, atque sputum cruentum. Disparente phlegmasia laterali abdominis in regione illiaca primum vertigo, deinde visus obscuratio producta est, cui nihil profuit jusculum viperinum.

Plegmasia pedis dexteri centenis experimentis mutatur in dolorem stomachi, atque innumera alia mala varia ratione se excipientia, quae cessant redeunte pedum phlegmasia.

Per sex, et ultra menses perdurat tussicula, atque ea cessat adveniente oculorum rubore, quo evanescente gravis cephalalgia, atque haec phoenomena ita se excipiebant, ut unius apparitio alterum deleret.

Rubor oculorum in vertiginem, et capitis perturbationem, et in anginam abit.

Ex suppresso sudore in febri hujusmodi statim acerbissimus dolor intestinorum cum lipothimia, qui per sudorem restitutum dissipatur.

Cessante sudore statim dolores in cute exorti fuerunt.

Tussis cum sputis pituitae purulentae, dolore lateris, febricula, summaque cor-

poris emaciatione, et spirandi difficultate pene hominem confecerat subnata contumaci cephalalgia; translata nimirum materia morbifica ad caput, tussis cum reliquis phoenomenis ex integro cessavit.

Febris catarrhalis cum tussi, et angustia pectoris, atque sensu interni cujusdam ardoris in pectore, oborto sudore foetido mitescit, evanescente omni pectoris molestia. Sudor non excolitur, et statim redeunt prima incommoda, quae iterum abeunt per redeuntem similem sudorem, pulsusque fere ad naturalem statum redigitur, aliqua tamen superstite ejusdem conditione praesentiam vitiosi humoris adhuc denunciante, lectum deserit aeger re non confecta, et iterum queritur de quadam angustia pectoris sine sensu ardoris, sed cum aliqua faucium phlogosi.

Tussis ferina, quae singulis annis revertebatur in muliere 50 annorum, mutatur in colicos vehementes dolores, qui superantur foetido sudore; sed iis convenienter non excultis rediit tussis.

Resorpta materies tumorem aliquantum dolentem facit in collo.

Rubor oculorum in tussim transit.

Si venenum jam ad cutim delatum fuerit, eamque deserat, in musculis se ab-

scondens, statim sudor cessat, ab exterioribus ad interiora, ab artibus ad caput, et pectus venenum transfertur.

CAPUT VIII.

EFFECTUS RERUM, QUÆ NON NATURALES DICUNTUR.

Nullum fere morbi genus est, quod tantopere persentiat aëris vicissitudines, et mutationes, ita ut qui una die alacer est, atque ad motum etiam expeditus, altera die imbecillus evadat, atque etiam torpidus.

Similiter diversa est animi ratio propter aëris variationem. Et sane tristitia, irascibilitas, et quidam pavor sine caussa, aut animi quaedam tranquillitas incredibili inconstantia excitantur pro varia temporum conditione, et licet eorum nonnulla omnibus fere hominibus etiam sanis communia sint; in hoc morbo ea vi, intensitate, atque adeo insigni mutatione,

subito fere apparent, ut evidenter ex interna promanent dispositione.

Auster caput gravat, et malà capitis accersit, imbecillum hominem facit, et tristem. Aër frigidus, et aquilone perflatus, quamdam membrorum rigiditatem, et movendi impotentiam inducit, spirandi difficultatem infert, conticescentes dolores renovat, pedum phlegmasiam repellit, dolensque caput facile reddit; aër siccus motus nervorum spasmodicos incitat, atque auget ea omnia mala, quae ex cute obturata nascuntur. Inconstantes aegri loco stare nequeunt, de cordis tremore quodam et palpitatione queruli somnum difficile capiunt, qui abruptus est, atque subsultibus, et terroris recursu interruptus. Commodior est humida aëris natura, si tamen frigida admodum non sit, nihil enim est iis frigore intolerabilius. Hujusmodi aër allicit vitiosam morbificam materiam ad tibias, phlegmasias earumdem inferens: facilius etiam, et diutius venenum in membrana adiposa, et tela cellulosa externa conquiescit: e contra in aëre sicco et perflato majori facilitate caput afficitur, atque in strigosis mens submovetur, et frequentiores sunt morbi pectoris, et signatim phthysis. Calente autem anni tempestate longe

melius aegri se habent; sed praecalida vires aufert, et animum infirmat, cogitandique energiam fere adimit.

Primo vere caephalalgiae vexant, frequentius recurrentes haemorrhagiae, erysipelas, purpuratae febres, quae ad scarlatinam rediguntur, aut febris proprii generis exanthematica, raucedo, quam saepe gignit vitiosi humoris destillatio a cerebro proficiscens, haemophtoe, dolor lateris pleuritidem aemulans saepius contingunt, et declinante vere, febres intermittentes apparent. Aestas, ut dictum est, hominibus hanc calamitatem ferentibus magis favet, exanthemata diversi generis in ambitu corporis afferens; sed dolores intestinorum frequentius torquent, atque alvi fluxus nascitur: perrara autem nostris temporibus vera dyssenteria. Oculorum rubor, declinante vere et aestate, familiaris est. Nihil autem his aegris infensius est insolatu, qui cito vertiginem, capitis internam commotionem mentem, et sensum vitae tollentem cum virium repentina imbecillitate producit, immo eumdem etiam consequitur fugax apoplexia. Insolatus autem primo vere potissimum nocet.

Adveniente autumno redeunt intermittentes febres, quae facile in quartanam saepius duplicem, aut triplam abeunt, re-

deunt erysipelata, dolores vagi in corpore cutis rheumatismum mentientes, phlegmasiae, et morbi pectoris oppressivi. Similiter, qui per aestatem siluerunt dolores arthritidem, et podagram exhibentes, iterum in scenam veniunt.

Hyeme sub larva anginae tussis, febris catharralis, coryzae, erysipelatis capitis, quod maxime periculosum est, aut odonthalgiae, saepius morbus procedit: apoplexiae, paralysis, et syncope convulsiva tum hyeme, cum primo vere frequentes contingunt.

Raucedo etiam ex repressa perspiratione saepe advenit, quae interdum contumax est sine ulla tussi.

Hominibus fomitem morbi habentibus, atque iis, qui explicitum habent, quocumque in stadio versentur, utilior est cibus ex vegetabilibus; maxime autem convenit cibo antiscorbutica adjungere.

In tertio stadio, et quarti initio, nocet cibus euchimus; perniciosum est vino indulgere. Potus caffè facile in non paucis somnum perturbat; somnia turbulenta adducit, sicuti etiam tremorem manuum, et cordis palpitationem. Gelidum potum aegri non ferunt, et ab eodem multum laeduntur. Desiderio cibi sub fine secundi stadii urgentur, qui in tertio stadio cre-

scit, atque etiam in quarti initio perdurat, donec ad anorexiam ventum sit, quo tempore cibum detrectant, maximeque illum, quem carnes suppeditant: potionem autem caffè summopere expetunt.

Somnolentia in plerisque usque ad quartum stadium constans esse solet, sed somnus vires parum reficit, immo dum lecto surgunt de imbecillitate queruntur, quae imbecillitas maxima in quarto stadio est. Haec imbecillitas minuitur per corporis motum. Post somnum pulsus debiliores sunt, et minores. Somni tempore sudores cessant, non modo in tertio stadio, sed et in secundo, qui iterum redeunt, statimac fuerint expergefacti. Os post somnum foetere solet, et ingratum salivae gustum accusant, qui brevi temporis spatio evanescit; somnus alimentorum concoctionem non promovet, et sensim coguntur coenam continuo parciorem instituere, prout morbus crescit; tribus, aut quatuor elapsis horis primi somni, qui gravis, et profundus esse consuevit, in confirmato morbo et ad tertium, quartumve stadium deducto alvum deponunt. A somno excitatis brevis singultus, tussiculae, aut gutturalis excreatus, aut vomendi conatus, molestiam inferunt, quae cito tamen dissipantur; de caetero somnus, et pluries

intra dies quosdam premere solet, saepius autem post prandium, et nocturnis horis advenit, atque in iis, quibus aliqua bilis portio commovetur hora decima matutina, aut undecima se a somno exsolvere nequeunt.

Vigiliae, quae inordinate quidem in omni stadio vexare possunt, longe frequentiores in quarto stadio sunt, morbos oculorum multum intendunt, atque distensiones nervorum producunt cum subsequente magna corporis imbecillitate.

Cum nihil prae vita sedentaria magis urgeat morbi curriculum; e contra nihil utilius sit corporis exercitio, eamdem propter rationem frictiones utiles sunt matutinis, et vespertinis horis institutae.

Vehementia animi pathemata latentem labem incitant: magnam autem ad hunc effectum rationem habet ira. Haec et sanguinem ad caput urget, atque interdum silentem vitiosum in cerebro humorem excutit, atque ad actionem impellit, et efficacissime suscitat scintillas oculorum, aurium sussurros, atque alia interni capitis mala. Caeterum et ex ipsa natura morbi ad iram, et tristitiam cum summa inaequalitate proni aegri sunt, atque studiose curandum est, ne aeger in horum pathematum cultura permaneat, ex qua

fit, ut morbi progressus per nervos interiores cerebri, atque eos praesertim, qui vitalibus organis, aut mentis actioni inserviunt, promoveatur.

Nonnulla denique dicam de veneris stimulo, cui certe hoc morbo correpti multa moderatione debent indulgere, ne sanguinem ad caput alliciendo, nervosque infirmando citatiorem reddant morbi progressum, sed constans observatio me docuit in tertio stadio inordinate redire quemdam libidinis impetum, dum nimirum malignus humor spinalem medullam, et signatim lumbos percurrens nervos ex spina oriundos exstimulat, atque in quemdam spasmum adigit. Huic stimulo si aeger satisfaciat, cerebri vis infirmatur, atque ad tetani spasmum facile deducitur. Melior est hac in re foeminarum conditio, in quibus ex promoto mensium fluxu, atque allicito ad uterum sanguine saepe obtinetur catameniorum, aut leuchorreae profluxus, qui temporariam morbi judicationem facit, ex qua expeditior atque liberior sanguinis et humorum circuitus obtinetur, quo in diutinum etiam tempus morbi incrementum distrahi potest.

CAPUT IX.

PROGNOSIS.

Majus, aut minus periculum proficiscitur potissimum ex majore cutis densitate, humorum visciditate, et diuturniori tempore, quod elapsum est a prima morbi apparitione, aut veneni susceptione, majorique miliarium miasmatis copia.

Robusti, sanguinei, etc. §. 129. tract. de miliarium, perinde ac in miliari morbo gravius periclitantur, minus autem molles, et spongiosi, in quibus longe lentius procedit morbi curriculum. Hi facilius in hydropem deducuntur; illi autem longe frequentius ex morbis capitis, atque pulmonis intereunt.

Quo diutius in corpore miasma perstitit, atque interiores partes affecit, eo difficilius, et serius fit exanthematum expulsio, et longe per plures vices exanthemata erumpunt. Atque observatum est eos, qui jam a diutino tempore venenum in corpore servant, in sudatoriam febrem,

dolorem stomachi, et intestinorum incidere.

Exanthemata, quae consequuntur diutina stomachi incommoda sunt plerumque lethalia. Febris paullo vehementior non est pertimescenda.

Sudores pedum calidi cum sensu puncturarum utiles. Pedum sudor frigidus, et pedes sicci frigidi mali sunt. Constans autem pedum, et tibiarum perfrigeratio pessimi ominis est.

Sudores trunci, non sudantibus artubus, mali. Sudores circa collum, et pectus difficilem, et valde diuturnam aegritudinem indicant. Sudores viscidi, et foetentes, si constantes sint, salutem promittunt, recurrentes infidi, et mali, qui aquosi sunt, et inodori. Pessimum est, si peracta eruptione exanthematum sudores cito evanescant, neque amplius revocari possint: morbus autem non superatur in iis, in quibus nullus sudor obtineri potest, aut aestate morbi explicationem praecedente non sudarunt.

Perniciosi sunt pulsus parum febriles, et intermittentes, ita etiam post inceptam sollicitationem, quae eruptionem indicet, suspensi, et inflati, nec propellentes, perniciosi. Mali etiam sunt debiles, minuti, non frequentes, aut licet frequentes, in-

completi, et decrescentes. Pulsus sive sinister, sive dexter, qui ante expulsionem debilior esse solet, quo plus post expulsionem se effert, eo magis sperandum est, atque ex pulsuum aequalitate et robore expectanda est morbi superatio.

Maculae solitariae minus timendae sunt, quam diffusus rubor, qui pustulas rubras comitatur. Maculae papuliformes diuturnam aegritudinem portendunt. Malum omnino est citra sudorum constantiam maculas, quaecunque fuerint, disparere, et quo citius papuliformes evanescunt, eo pejus est. Bona res erit, si maculae papuliformes in phymata persistentia se efferant, quorum major pars in vesicam mutetur.

Pustulae in capite apparentes (in chronico morbo) utiles, atque internos morbos capitis solvunt. In morbo universali prosunt eae, quae in dorso, abdomine, et tibiis, maximeque illae, quae majores sunt, et vesica excitata, aquae aut puris speciem fundunt. Pustulae, quae tantummodo pruriunt, non pungunt, difficilem, et contumacem aegritudinem praebent. Pustulae papuliformes sive rubrae, sive subalbidae urticata exanthemata referentes diuturnam aegritudinem portendunt, humorum visciditatem, cutis constrictionem

et densitatem ostendentes; facile autem in hujusmodi casu materia morbifica ad intestina transfertur, et nonnisi post multos labores judicatio morbi obtinetur. Pustulae, quae in fronte viscidum mucum extillant (in morbo chronico) eam oblinientes, utiles sunt et morbi progressum retardant. Si cutis pellem anserinam referat, per hanc asperitudinem saepius morbi quiescentia aliqua fit; idem etiam obtinetur per perniones, sed iis disparentibus morbus reviviscit.

Quo serius purpurae eruptio fit, eo difficilior morbus est. Vidi tamen, et cito peticulas, et miliares pustulas advenisse cum cita morte: sed hic properans morbi progressus ex miliarium copia proficiscitur.

Pustulae in facie tantum apparentes non magnam habent utilitatem.

Si pustulae grandiores evadant, atque serum effundant, cute etiam exulcerata, salutis magna spes est, atque bonum est pustulas cute scissa, et ulcerata in crustas abire, quod in morbo chronico evenit, atque in morbis internis capitis perutile est.

Vidi pluries posterius aurem, proximamque capitis cutem exulceratas instar crustae lacteae magnam utilitatem attu-

lisse, atque diutinam morbi quiescentiam fecisse.

Minutae pustulae sive rubrae, sive albicantes periculosae sunt; bonum est cutem intumescere, et extus pustulas majores efferri.

Pustulae minutae altera die evanescentes, cum squammula minuta, aut furfure, exiguae utilitatis sunt.

Utile est laminatim totam cuticulam discedere: saltem partialis crisis est, quae per aliquod tempus incolumem aegrum servat. Exigui emolumenti est cuticulam per minimas squammulas decedere. Si tantum in collo, et pectore hujusmodi squammulae se se offerunt, recidiva prompte adveniet. Res optima est, si post cuticulae decidentiam, aut eodem tempore, pustulae majores adveniant instar varorum suppurantes, quod evenit ubi rheumaticae indolis extitit lymphae conditio. Bona etiam morbi judicatio expectanda, si pustulae in vesicam abeant, et ichorem, aut serum effundant repetitis eruptionibus.

Recidiva timenda est, si morbo jam ad finem perducto pulsus lenti, et intermittentes sint, eo quod venenum peticularum adhuc in minimis vasis cutis latere significent.

Stuporis pungitivi libera sensatio bonum augurium praebet; malum est stuporem pungitivum prompte disparere cum pulsu contracto breviori et lento, et cutis subsidentia.

Haemorrhagia in provecto morbo sanguinis solutionem saepius denuntiat, nullamque utilitatem affert.

Odonthalgiam in coryzam converti bonum est. Utile est materiam morbificam a capite ad pectus, et successive ad tibias, atque pedes transferri.

Ulcera in digitis pedum utilia sunt: eaque eveniunt in morbo chronico.

Vesicantia, quae constanter renuunt, licet irritata, materiam fundere, praesertim in morbi acuti progressu mali ominis sunt.

Idem est judicium de fonticulis, qui parce, et inodoram materiam praebeant.

Alvi fluxus quocumque morbi stadio bonus non est, neque juvat, nisi quando adest bilis collecta evacuanda. Pessima est alvi incontinentia, atque ea, quae advenit aegro inscio, aut parum advertente.

Alvus autem sanguinolenta non adeo, sicuti portendere videtur, timenda est.

Destillatio vitiosi humoris, quae fit per gingivas, dentium vacillationem inferens, et gingivarum etiam cruentationem, mor-

bis capitis auxiliatur, atque pectus praeservat.

Urina aquea denotat plerumque spasmum nervorum cutis a veneno in exteriori cute defixo: turbata, filamentosa, aut pelliculosa indicat affrictum in vasis lymphaticis plerumque cutis. Si sedimentum mucosum deponat, aut quod exhibeat puris albi speciem eadem vasa lymphatica expediri denotat; tenuis, atque oleum olivarum referens ostendit venenum ex minimis vasis exterioribus profundius cutim subire, atque demum a membrana adiposa resorberi. Tenuis autem, et naturaliter colorata pallidae succedens, venenum sanguini infusum esse indicat.

Tenuis, et flavescens declarat venenum bili junctum a sanguine praesertim receptum esse; si autem tenuis, et rubra sit, significatur a veneno intra sanguinem magnum fieri cum globulis sanguinis affrictum. Urina obscure rubra, aut fusca, turbata et ramentosa sanguinis resolutionem designat, sive illa ad universam massam sanguinis pertineat, sive ad eam portionem sanguinis, quae cum veneni notabili portione ad partem aliquam veluti projecta est, uti renes, uterum, pulmones, etc.

Urinae turbatae, et confusae sunt, quando materia morbifica intra abdomen residens commovetur. Urina spumosa spuma alba persistente observatur, si venenum in capite permaneat, atque fibras medullares, atque nervorum originem exstimulet.

Urinae denique, quae licet tenues, aut naturaliter coloratae sunt, tamen facile corrumpuntur, indicabunt in minimis vasis propter diutinam stasim lympham bili junctam, corruptionem subiisse, atque corruptas particulas in circuitum cum sanguine venisse.

Auris utraque retracta, et multum diminuta jam valde provectum morbum esse significat.

Flamma intus discurrens magna pericula, difficilisque curationis morbum portendit.

CAPUT X.

JUDICATIO.

Judicatio morbi, sive actio illa naturae, qua materia morbifica e corpore eliminatur, triplex mihi videtur constitui posse; ea nimirum, qua materia omnis e corpore exit, atque perfectae nomen meretur; altera qua materia non omnis evacuatur, atque imperfecta, sive incompleta est; tertiam addo, quam temporariam voco, atque illa mihi est, in qua illa evacuatio evenit, propter quam effectus secundarii, sive morbi progeniti aliquo modo solvuntur, atque abrumpitur ad aliquod tempus morbi progressus, sed praesens adhuc persistit materia morbifica.

Judicatio plenior fit in morbo acuto per exanthematum eruptionem pluries repetitam, et perdurantes viscidos, foetidosque sudores, qui cum majoribus subsequentibus pustulis materiam universam exhauriant.

Morbus etiam, et praesertim chronicus judicatur per guttam rosaceam in facie apparentem, atque per numerosos varos in pectore, facie, et dorso advenientes, quos aliqua consequatur suppuratio, sed frequentius viscidi muci stillatio.

Pustulae scabiem * referentes in morbo chronico valetudinem per diutinum tempus durantem reddiderunt, uti etiam enata psorae species retro aures, et in facie, atque in parte capillata capitis; sed hujusmodi excretiones saepius temporariam judicationem fecerunt, et morbum non eradicarunt, nisi forte exercitium aestivis mensibus diutinos, foetidosque

* Haec scabies differt ab ordinaria scabie, quae est contagiosa; pustulae quidem per totum corpus scabiei similes, et prurientes nascuntur, sed eae interstitia digitorum non occupant, neque sub genu et axillis confertiores sunt, per scalptum sanguinem fundunt, diu durant tota pustula siccata secedente, neque squammulam illam crustosam praebent sicuti in scabie evenit.

Hae pustulae homini, qui in eodem lecto decumbat possunt quidem venenum transmittere, sed pustulae non transmittuntur, atque impune possunt pustulis scatentes aegri contrectari, quin scabies contrahatur. Vidi hujusmodi scabiem saepius advenisse iis, quibus sanguini miasma inhaerebat. Hac occasione referam me bis observasse in hoc malo provecto, cujus fomes diu in ipsa cute perstiterat verum morbum peticularem observasse, quem praecesserunt hujusmodi pustulae scabiem referentes. Ab hoc incommodo, non autem a morbi progressu liberata quaedam mulier est repetita ablutione universi corporis ope spiritu vini.

sudores, et majusculas pustulas elicuerit, neque una aestas sufficere solet ad totum virus educendum.

In miliari morbo plena cuticulae decidentia, et desquammatio morbum finit, sed in nostra aegritudine haec crisis non sufficit. Eam sequi adhuc debent viscidi, foetidique sudores, atque pustulae majores, et numerosae varorum similes, quibus eliciendis maxime favent balnea aquarum thermalium.

Haemorrhagiae porro sive narium, sive uteri utilitatem saepius dederunt, non quidem ad morbum debellandum, sed ad temporariam quietem afferendam, cujus ope variis intervallis valetudo apparenter bona protrahitur; hujusmodi autem evacuationes non modo particulari plethorae auxiliantur, et aequabiliorem liberioremque circuitum humorum reddunt, propter quem innocuum etiam venenum per corpus circumagitur; sed et aliqua portio veneni sanguini inhaerens evacuatur.

Urinae recurrentes lixiviales, et fuscae simili modo juverunt, et aut partialem, ut dicitur, judicationem fecerunt, aut temporariam. Urinae porro, quae sedimentum album constanter deposuerunt, notabilem utilitatem attulerunt, vasa lymphatica expediendo, et tollendo morbos

ab ejusdem nata visciditate progenitos.

Sudores etiam universales, aut tibiarum, et pedum in lecto matutinis horis recurrentes, et exculti utiles extiterunt, morbique progressum plurimum retardarunt: interdiu permanentes pedum sudores constantem utilitatem attulerunt.

Nihil frequentius est, quam morbos internos capitis mitigari, aut cessare per varos in fronte et facie efflorescentes, aut magnum capillatae partis pruritum, aut ulcera retro aures, et per lippitudinem, qua nihil efficacius est ad arcendum, atque prohibendum morbi progressum.

Abscessus etiam in digitis manuum aut pedum, qui ad panaritia rediguntur temporariam judicationem fecerunt. Iidem abscessus in chronico morbo pueros et adolescentes afficiente, etiam longioris aevi utilitatem dederunt; sic etiam ulcera tibiarum a morbi incommodis per aliquod tempus immunes aegros aetate provectos reddiderunt ita, ut aegri bonam valetudinem jam acquisiisse se existimarent; sed fomes morbi post haec solet semper permanere, qui tractu temporis etiam diuturni reviviscit. Leucorrhaea etiam in foeminis, et in maribus haemorrhoidum serosa destillatio partialem, et temporariam judicationem intulerunt. Caussa autem adeo

difficilis perfectae curationis in eo posita est, quod venenum in morbo, qui primae invasionis tempore extirpatus non fuerit, muco praesertim soleat inhaerere, atque potissimum muco cuticulae subjecto, ex quo loco difficulter excuti, et evelli potest, nisi constantes balneationes in aquis thermalibus et resolventibus, atque forte exercitium coegerint materiam omnem e corpore exire.

Alvi denique fluxus, neque in acuto, neque in chronico morbo morbi judicationem facit; utilis interdum extitit in morbis secundariis, ut adjunctis accumulatam bilem educendo, atque humores per stasim corruptos, et sanguini infusos deinde ad alvum transmissos evacuando.

Caeterum per hanc viam nonnisi illa portio veneni, quae ipsi bili, aut corruptis humoribus inhaeret, evacuatur.

CAPUT XI.

CONTICESCENTIA.

Conticescentiam voco eum statum, in quo emendata humorum densitate, per vasa venenum libere circumagitur, aut materia morbifica in unum locum veluti collecta sopita silet, neque vitae tunc insidiatur, ita ut aeger bona valetudine uti videatur; attamen pulsus praesertim sinistri lateris conditio, aliaque phoenomena morbum latentem indicant.

Conticescentia evenit per pustulas fatuas, sive, ut ajunt, cutem anserinam, per lichenosam carpi, et brachii saepius dexteri asperitatem, per dolorem calcanei, musculorum tibiarum constantem rigiditatem, per dolorem lateris sinistri, per brachii dexteri rheumatismum, et ejusdem tremorem, paralysim sinistri brachii, per motus spasmodicos, qui ex cerebro per medullam spinalem procedunt, atque a cito discurrente materia morbifica profi-

ciscuntur, malum hypocondriacum, phlegmasiam circa malleolum saepius dexteri pedis per venenum a sanguine resorptum, atque in eo conticescens, in membrana adiposa per corpulentiam *, per arthritidis et podagrae recurrentes dolores. Diu etiam conticescit, atque ad annos, per oculorum ruborem, coryzam, et aurium surditatem, et in foeminis per glandulas mammarum induratas **.

* Corpulentia interdum universalis est, eaque advenit, uti alias jam monuimus, per transfluxum, et moram materiae morbificae in membrana adiposa universa; alias autem particularis est, et pertinet ad abdomen, cujus volumen sine notabili incommodo adaugetur si flatus excipias. Posteaquam diu etiam in abdomine siluit, dolores in abdomine nascuntur, quod subsidet, febris accenditur, quam consequuntur aut tussis, aut angina, aut caephalalgia, febrisque exanthematica. Caephalalgia autem, aliaque capitis mala, aliquando cessarunt adveniente quadam, ut ita dicam, corpulentia faciei. Aegri nullum amplius capitis incommodum persentientes, sed pleniorem vultum advertentes credunt se bonam valetudinem recuperasse, pro qua etiam ab amicis gratulationes recipiunt, sed hujusmodi corpulentia aucta aequalis non est, ita ut sagaces observatores ab ea vultus prospectum, et physionomiam mutatam videant. Vultus autem laetior, quam oporteat est, atque praesertim augetur externa genae curvatura. Ea autem corpulentia cito subsidet, et revertitur. Vultus plenior, et rubicundior fit iis, qui strigosi sunt, atque sanguineo-melancholici, sed brevi quidam pallor vultus, atque cutis distentae lucidus nitor sagaci observatori demonstrat hanc auctam corpulentiam deberi transfluxui miasmatis, quod internum caput dereliquit, atque in membrana adiposa externi capitis consistit.

** Ex variis partibus, uti ex latere sinistro, ex utero, ex tumore malleoli etc., interdum ad mammas ve-

Dimota vero ex hisce locis materia morbifica et sanguini infusa, et ad alias partes, praesertim nervos delata scenam omnium malorum sive universalium, sive localium, quae huic morbo propria sunt, iterum in medium adducit.

nenum transfertur, atque glandulae indurantur. Eae interdum vix dolent, alias etiam fortiter, potissimum si contrectentur. Fugax etiam rubor cum aliquot pustulis, nunc dolorem comitatur, et tumor nunc magis extat, nunc subsidet. Diu etiam durat, atque ad plurimos annos: sed suppressis mensibus, aut cessantibus, foeminae in magno periculo versantur. Post auctum enim dolorem, et tumorem rubore quodam cum dolore, puncturis et ardore cutis eo loco diffunditur. Pustulae, et phlictenae se efferunt, atque exulcerata pars in ulcus cancerosum abit, cujus curriculum brevioris temporis est, quam in ordinaria cancri specie. Eo tempore variae nascuntur febres cum sudore conjunctae, etiam nostri morbi exanthemata, atque phoenomena ferentes.

CAPUT XII.

FINIS MORBI FUNESTUS.

Finis morbi aut provenit ex statu universali, aut ex morbis localibus, qui eidem supervenerunt. Rarissime aegrotantes in primo et altero stadio pereunt, neque graves morbi capitis, ut catocus, epilepsia, syncope, etc., primum quandoque advenientes hominem tollunt.

Perraro etiam secundi stadii exanthemata, nisi alter adjunctus morbus sit, mortem inferunt; perire autem solent lentissime, post varias symptomatum et morborum vicissitudines, aut ex morbo universitatem corporis obsidente; aut ex morbis particularibus, qui in tertio stadio advenerunt.

Ex vitio universali, fracto nervorum tono, sublatoque sensim humorum circuitu propter virium imbecillitatem, ex syncope denique moriuntur, aut pulmone sensim repleto suffocantur, squallidi, macilenti, fatui, atque posteaquam repetitis

vicibus animo defecerunt. Febris etiam excitata putrido-gangraenosa, exanthematica, petechizans, et miliaris, quae consuevit diu trahi, vitae finem imponit.

Frequentiores morbi locales, qui vitam, quam miserrime ductam claudunt, sunt eclampsia, apoplexia, lethargus, angina gangraenosa, hydrophobiae species, peripneumonia, pulmo repletus, phthysis, aut cum, aut sine haemophtoe, hydrops pectoris, colica stomachi, gastritis, enteritis, excoriatio intestinorum, ascites, alvi fluxus denique sanguinolentus, vesicae gangraena, erysipelas gangraenosum.

Plerique autem hi morbi fere semper comitem habent indolem sanguinis per diutinam utriusque miasmatis actionem gangraenosi redditi.

Cute obturata demum macilentia nascitur, sanguis viscidus urgetur ad interiora, nasciturque inflammatio pulmonis * suffocativa.

Non evenit suppuratio propter debilem vim vitae.

In iis, in quibus utrumque miasma in cute persistit febris quotidiana, aut inor-

* Pulmo repletus morbum terminat, nullus dolor, vix ulla tussis, sed ad quemlibet motum inspirandi difficultas, demum mors fere cum subitanea syncope succedit.



dinata urget, et sudores sine ordine redeunt, imbecillitas sensim augetur; squallidi cachectici fiunt cute faciei veluti oleo oblinita et lucente, stupidi evadunt, sphincteres ani et vesicae veluti resolvuntur, neque faeces, aut lotium possunt retineri; ex lipothymia denique moriuntur, atque mens sensim sine sensu deficit.

CAPUT XIII.

EXTISPICIA.

Cum exiguus esset numerus casuum, quibus ipse cadavera hoc morbo defunctorum inspicere datum fuit, neque ex iis generales quasdam ad praesentaneam morborum conditionem facientes cognitiones deducere possem, jam pene confecto hoc opusculo decrevi interpellare hac super praestantem virum Franciscum Rossi *

* Chirurgorum Collegii Taurinensis socius est, Chirurgiae Praefectus in Nosodochio Sancti Joannis, Prosector anatomicus Gymnasii Taurinensis, et Chirurgus major Legionis Taurinensis.

anatomes peritissimum, atque in dissecandis cadaveribus assiduo occupatum, eum rogans, ut vellet benevole communicare quae frequentius, atque universalius convenientia ab aliquot annis in cadaverum dissectionibus observavisset, eaque dissidentia ab iis, quae olim cadavera exhibuerunt. Non modo autem ex iis notionibus, quas in genere de morborum, qui homines sustulerunt, indole narravit, sed etiam ex insigni, quae nostris temporibus est hujusce aegritudinis universalitate nullum dubium jam superest indicandi hasce mutationes, in quibus cadavera consentiunt, ad hanc aegritudinem pertinere. Quae vero ipsi magna frequentia oblata sunt in cadaverum examine, sequentia fuerunt.

In cerebello non apparuit notabilis mutatio, paullo quidem mollior notata est corticalis substantia, sed in cerebro evidenter tenera, mollis, et fere diffluens corticalis portio fuit. Medulla autem cerebri, et cerebelli, atque similiter etiam medulla oblongata, et nervorum substantia longe firmior observata est, quam in statu naturali. Adnotavit autem eos, qui mente capti, et maniaci obierunt, ostendisse medullarem cerebri substantiam adhuc magis compactam, et firmiorem. Me-

dulla spinalis generatim visa est valde firma, et veluti exsucca praesertim in iis, qui ab hydrope fuissent interempti. Piae matris vasa lymphatica distenta apparuerunt, atque frequenter in hydatides amplificata. Similes autem hydatides obviae saepe fuerunt in plexu choroideo; sed vasa lymphatica cerebri interdum vere emphysematica occurrerunt statim per acus puncturam subsidentia sine seri effusione. Non modo vero hydatides, sed concretae veluti in tophum adipis glebae, sive congestiones in tela cellulosa visae sunt frequenter in cavo orbitae. Nervi vero * auditorii simpliciter solito majorem tensionem, et firmitatem habuerunt. Caeterum tum inter membranas, aut sub pia matre, et in ventriculis cerebri, potissimum autem ad basim cerebri serum effusum, illumque notabili copia conspectum est; vasa etiam sanguinea cerebri pleniora, atque distenta extiterunt. In cavo pectoris fere semper serum varii coloris effusum adnotatum est, atque speciatim in sinistro latere. Pulmo etiam sinistri lateris vitiosus saepius repertus est,

* Siscitatus etiam sum ab eodem praestanti viro, num dexteri, aut sinistri lateris firmiores nervi essent, sed respondit se hanc diversitatem non advertisse, cum data opera non inquisiisset.

nunc substantiae compactae, et coriaceae, vesiculis pulmonalibus fere deletis, nunc etiam compressione, et sectione veluti exsudans pus exhibens, sed quod evidenter ad telae cellulosae alterationem pertinebat. Visum autem non est vomica contentum pus, aut parenchyma pulmonis per diutinam suppurationem exaesum. Pulmo etiam sinister non infrequenter sphacelo corruptus repertus est, et alias apparuit veluti gelatina concreta obductus, et pleurae variis in locis agglutinatus: caeterum hae mutationes etiam in pulmone dextro se se obtulerunt, sed longe frequentius in sinistro apparuerunt. Cor saepius fuit flaccescens, pallidum, et diminutae magnitudinis, attenuata ventriculorum, et auricularum substantia. In abdomine totus tubus intestinalis adnotatus est crassior, subrubens cum vasis sanguineis valde apparentibus, et distentis, venisque varicosis, qui status vasorum praesertim talis fuit in ventriculo, et duodeno. In ventriculo frequentes fuerunt maculae rubrae, aut liventes, atque versus pylorum frequentius visa sunt vasa sanguinea tumentia. Duodenum etiam similes varices saepe exhibuit, atque prae reliquis post acutum morbum aut maculas gangraenosas, aut sphaceli corruptio-

nem ostendit. Caeterum tubus intestinalis praesertim ad intestinorum inflexiones valde coarctatus fuit. Lien, et hepar ab obstructione distenta, atque volumen majus adepta non sunt, lien quidem potius contractus, obscurus, substantiae tenerae, cum sanguine fluido, et obscuro, etiam gangraenosus se se in cadaveribus frequenter se obtulit, atque interim hepar frequentissime exhibuit substantiam firmiorem, et veluti coriaceam, colorem autem potius subcinereum, aut pallide flavescentem. Vesicula autem fellea non bile flava, sed viridi, aut etiam nigra plena observata est. Serum etiam effusum frequentissime in abdomine fuit. Testiculorum dexter fere semper multo major extitit.

Musculi in universo corpore rigidiores, atque minus firmae substantiae, sed veluti sphacelati apparuerunt in iis maxime, quos convulsiones sustulerunt.

Mutationes, quas cadaverum status objecit, mihi prorsus consentire videntur cum iis conjecturis, atque ea opinione, quam ex symptomatum, et morbi progressus consideratione deduxi, ut facile patebit illi, qui omnia, quae hac tractatione continentur, consideraverit, et maxime adverterit ad ea, quae traduntur.

speciatim in disquisitione naturae morbi, phoenomenorum, atque symptomatum.

CAPUT XIV.

MATERIÆ MORBIFICÆ PROPRIETATES.

Cerebrum primum afficere solet.

Plerumque brachii sinistri debilitatem infert cum pulsu sinistri * lateris debiliore, et colli ad dexterum latus flexione, atque oris ad dexteram partem aliqua torsione; interdum etiam lingua porrecta dexteram oris commissuram lambit, et ex eadem commissura saliva defluit.

Dorsum manus, atque in graviori morbo totum brachium cutem minus sensibilem, atque levem offert; haec porro mi-

* Licet plerumque inferat lateris sinistri debilitatem, atque in dextero latere soleat nasci rheumatismus ex phlegmasia, vidi tamen interdum contrarium advenisse, atque ex utraque parte tunc nulla oris torsione, nec pulsuum in alterutro latere mutatio.

nor sensibilitas cutis in provecto morbo etiam ad totum sinistrum latus extenditur, sed sensibilitas redit, si veniente sudore in affecto latere exanthemata efflorescant.

Tractu temporis sinistrum brachium gracilescit, et debilius est, atque sinistri cruris robur etiam infirmatur.

Mucum speciatim viscidum reddit, eumque peculiari ratione corrumpit.

Vim musculorum infirmat, atque eos rigidos reddit.

Ex cerebro per medullam oblongatam et spinalem descendit, unde obstipitas, et tetanus, variaeque convulsiones oriuntur, et internorum viscerum multiplices affectiones, necnon artuum inferiorum imbecillitas. Cerebri medullares fibras videtur rigidiores reddere, atque (ex observationibus anatomicis) corticalem substantiam laxiorem, et molliorem facere.

Nervos omnes ad spasmum tetani disponit.

Saepe fugax ex uno in alium locum transfertur; interdum valde fixum, ut in membrana adiposa, in muco, et corpore musculorum.

Sensim sine sensu, et longe lentius quam in miliari morbo, sanguinem peculiariter cogit.

Imminuit, et denique delet fibrarum irritabilitatem, et sanguinem ad stasim disponit.

Per diutinum tempus etiam innocuum hospitatur levioris momenti morbos primum afferens, qui remotis intervallis revertuntur, deinde frequentius; partem, quam interdum diu occupavit, ex integro relinquit, et ad alium locum fertur.

A natura, quae libere agere possit, ad cutim urgetur.

Sanguinem, et lympham potius ad stasim, quam ad inflammationem ducit, sanguinem autem ultimo resolvit.

Recta ab interiori ad exteriorem partem superpositam solet venenum progredi usque ad extimam cutim.

Cutem appellens primum frigus excitat, deinde calorem aegro sensibilem, non tangenti Medico, in extima cute ustionis, et ardoris sensum.

Ex miasmate in cute paullo profundius defixo summa frigoris intolerantia nascitur. In morbo jam multum provecto ad macilentiam aegri veniunt, etsi primum corpulenti fuerint.

Omnia inconstantia, et variabilia sunt.

Saepius fumi instar per telam cellularem ex inferioribus partibus ad superiores ascendit; exercitium ad inferiores allicit, somnus ad superiores.

Sanguini inhaerens in ea parte, quam petit, aut diu tenet, plethoram gignit, sanguinemque resolvit.

CAPUT XV.

CAUSÆ PROXIMÆ NATURA, ET ORIGO.

Hanc constituo in duplici miasmate peticularum, et miliarium, quae simul juncta, et peculiari ratione in unam actionem conspirantia sensim valent oeconomiam animalem afficere, atque paullatim tam diutinas, atque graves morborum successiones inferre.

Peticularis veneni existentia demonstratur a veris peticulis, sive in morbi progressu conspicuis, sive inter initia morbi apparentibus, et diu etiam persistentibus, a symptomatis nonnullis in hoc morbo occurrentibus, qualia sunt pulsuum major, aut minor debilitas, animi abjectio, quaedam ad somnum proclivitas, aurium

susurrus, virium diminutio, sensuum hebetudo etc., a febribus exanthematicis, quae in secundo stadio observantur, tum etiam a gravissimis illis, et lethalibus, quae interdum in fine morbi superveniunt, atque demum ex indole gangraenosa, quam humores in quarto stadio produnt.

Miliarium veneni praesentia indicatur a frequentia stuporis pungitivi, ab urinis saepius aqueis, aut tenuibus, a motibus nervorum spasmodicis, a celeri materiae morbificae translatione, a pulsu non modo debili, sed contracto, ab eruptione miliari, quae in chronico, et praesertim in acuto morbo solet cum absoluta proprii characteris per omnia phoenomena declaratione advenire.

Observationes docuerunt miliarium fomitem, quin se patefaciat posse diu delitescere, sed et notum est consumatis clinicis peticularum venenum in humano corpore sopitum posse persistere. Quanam autem ratione tamdiu diferri maligni veneni effectus possint, atque tam insensibili gradu corpus humanum valeat labefactare, quantum nostris temporibus videmus, inferius proponam; sed prius inquiram, quonam modo factum sit, ut talis genita sit humorum conditio, propter quam haec aegritudo adeo frequens facta

n

sit cum iis mutationibus, quam omnis fere morborum cohors ostendit, quam quidem in ipso proemio summatim indicavi.

Accurata observatio, atque morborum, prout successivis temporibus apparuerunt, comparatio mihi ostendit post adventum febrium catarrhalium malignarum, quae post annum 1766 iteratis vicibus cum universa pene Europa nos afflixerunt, et ex remotis regionibus per regnorum continuitatem ad nos venerunt sub nomine *grip*, *la goulette*; *catarrhe Russe*, *et la brienne* nomine notissimis, et signatim post catarrhum Russum, nostri morbi frequentiam plurimum invaluisse. Jam vero evidens est a subitanea virium prostratione, in quam ab hisce morbis aegrotantes incidebant, a frequenti tunc temporis angina gangraenosa, et peripneumonia maligna, a praesentia peticularum, ab indole gangraenosa sanguinis observata in iis, qui gravius aegrotabant, a modo, quo successive regionum, et tractuum invasione plures homines ejusdem oppidi eadem die corripiebantur, procul dubio hos epidemicos morbos pestifero cuidam miasmati tribuendos esse, quod per hominum consortium aëris ope; cito ad conterminas regiones translatum est, atque in

suo progressu constanti gradu infirmatum. Puto igitur luem hanc per hominum consortium repetitis hujusce calamitatis recursibus, magis magisque diffusam fuisse, atque sensim morborum indolem permutasse *.

Dicam nunc, quanam de caussa haec duo miasmata simul agentia, et diu sopita persistere possint, atque diuturnas, lentasque morborum parere successiones.

Peticularum venenum, sicut omnibus notum est, nervorum actioni infensum est, atque vim vitae infirmat, sanguini autem inhaerens eumdem ad stasim gangraenosam disponit, atque continuo nititur etiam lympham ad putridam corruptionem deducere ejusdem stasi genita. Miliarium autem miasma serum exprimendo, atque actionem, et contractionem vasorum augendo lympham, et postea etiam sanguinem cogit, atque homines ad morbos inflammatorios proclives facit; ex hisce autem venenis simul existentibus, atque contraria ratione agentibus evenit, ut materia peticularum actione miliarium miasmatis ad vasa lym-

* Hisce animadversionibus adjiciatur, quod licet in quibusdam non gravis morbus esset, atque cito tum raucedo, tum tussis, et febris catarrhalis superarentur, etiam per plures menses imbecilli, et velut stupidi homines persisterent.

phatica urgeatur, neque statim sanguinem afficiat, lymphae cohaesio sustineatur infirmato tono fibrae irritabilis, auctaque lymphae visciditate, materia morbifica veluti immutata jacere, aut etiam intra sanguinis torrentem impune vehi aliquandiu possit, quin sanguinis cohaesio ab actione peticularis veneni resolvatur.

Hisce autem positis, facile patebit, cur morbi inflammatorii minus frequentes sint.

Cur tantopere morbi a veteri norma recesserint. Cur plura phoenomena inter miliarem morbum, et peticulas ambigant.

Cur adeo difficilis sit hujusce morbi integra extirpatio.

Reliqua plura ex hac veritate deducenda nunc minime persequor; consultius enim duco in disquisitione phoenomenorum, et symptomatum singula pro mearum virium ratione explanare.

CAPUT XVI.

CAUSÆ PROXIMÆ ACTIO, ET EFFECTUS.

Traditurus quanam ratione causa proxima hujusce morbi varios effectus, quales occurrunt, gignere possit, ipsius causae actionem eodem ordine persequar, quo successive agere consuevit: et cum primum cerebrum afficere soleat, deinde humores vitiare, primum ejusdem successivam impressionem in nervos persequar, antequam ea exponam, quae spectant ad humorum mutationem. Animadvertam susceptum hoc miasma primam commotionem cerebro inferre, atque vertiginem, caephalalgiam etc. afferre hemisphaerium dexterum primum saepius afficiendo, quam aliqua statim subsequitur nervorum debilitas cum mutatione auris sinistrae, et brachii sinistri debilitate ex pulsu percipienda.

Puto nimirum tenuissimum septicae naturae hoc principium usque ad cerebri fi-

bras pervenire, easque tali ratione percellere, dum telam nervorum cellulosam percurrit, aut in ea lentescit, ut eorumdem actio infirmetur, eaque impressio oriatur, quae inter spasmum, et debilitatem est. Varia deinde phoenomena subsequuntur, prout aut variae portiones cerebri, aut diversa paria nervorum, aut eorum quaedam propagines afficiuntur. Itaque si malignus humor cerebri corticem afficiat, dolorem facit, aut etiam somnolentiam inducit, atque memoriam debilitat.

Si sensorium commune impetat catalepsim, epilepsiam, apoplexiam convulsivam, atque alios morbos capitis producit. Nervi vero, qui jam a cerebro processerunt affecti, gignunt balbutiem, odonthalgiam, strepitus in auribus, visionis phoenomena etc. Nascitur etiam ira, tristitia, animi abjectio, prout nervi quidam varii, aut variae, et respondentes medullae portiones affectae sunt. Nervos etiam vitales immediate feriens producit tremorem cordis, palpitationem, dispnoeam, syncope, stomachi mala nonnulla etc. Si medullam spinalem percurrat tetanum, variosque morbos convulsivos generat, uti etiam quosdam dolores intestinorum, vesicae incommoda, malum ischiadicum, artuum inferiorum dolores etc.

Provida natura (quacumque ratione id peragat) venenum urget ad cutim, quod stimulo suo, propriaque vi sudores viscidos foetidos urget, atque exanthemata profert, quibus morbus judicatur. Quod si haec bene cursum suum non peragant, sed eorumdem materia in cute subsistat, sensim imminuit circuitum humorum per cutim, atque sensum infringit, maxime in parte laesa, sudorem, et perspirationem demum adimit. Prout vis cutis imminuitur, pulsus rari, imbecilli, inaequales fiunt.

Sed et venenum in membrana adiposa conticescit, in tela cellulari musculorum rheumatismum mentitur, et in corpore musculorum dolorem producit; musculi autem abdominis, et praesertim recti dolere, et rigescere consueverunt; dolent etiam musculi pectoris.

Si externam tunicam intestinorum venenum afficiat, inflatione venter intumescit, aut tympanitide distenditur; si interior intestinorum tunica laedatur, dolores acuti, et recurrentes torquent, et sanguinolentae etiam apparent evacuationes. Musculari autem tunica intestinorum similiter affecta dolores vehementer urgent.

Si magna copia, et praesertim bili

juncta ad cerebrum feratur, eaque feriat sensorium commune, delirium etiam furiosum excitatur.

Hoc miasma facile bilem acuit et vitiat, atque cito vitiata bilis in morbi consortium venit; particulae enim praesertim indolis peticularis propter earumdem corruptivam naturam olea, quae magna ex parte bilis compositionem ingrediuntur, prompte subeunt, et bilem alterant, idcirco propter hujus lentiorem motum, minoremque sanguinis cohaesionem uberior etiam secretio in hepate fit, eaque degener, et actuosa redditur, suam simbolam in curriculo morbi collatura.

Proprium autem huic miasmati est cum muco coalescere, atque illum viscidum, et foetidum reddere, atque vim irritabilitatis infirmare; motum idcirco peristalticum intestinorum peculiariter minuit, et fere supprimit, atque irritabilitatem, imo etiam sensibilitatem intestinorum debilitat. Ex hisce autem omnibus plura mala proveniunt, quae sunt anorexia, bilis in vesica fellea collectio, quae tractu temporis in atram bilem convertitur; muci collectio, alvi segnities, et durities, vitiatus odor excrementorum. Si mucus vesicae miasma retineat, primum se prodit quidam ad mingendum stimu-

lus, deinde ischuria, atque urinae albentes mucosae veniunt. In membrana pituitaria coryzam contumacissimam gignit, et muci ex faucibus proventum matutino praesertim tempore molestum producit.

Tracheam impetens tussim cum aliquo sibilo, atque postea cum sputo mucoso subpurulento, foetidoque, verum foetore, qui non est ad verum pus genitum reducendus, sed ad solam muci perversionem.

Hujusce denique actio, et coagmentatio cum synovia articulorum, et liquore, qui proprius est bursis tendinum, dolores, et tumores varios ad articulos generat.

Lympha coacta hujusmodi miasma retinens, et huc illuc ab actione vasorum projecta, si praesertim aliqua bilis portio adjuncta sit, caussa est dolorum, qui huc illuc persentiuntur, febriumque, quae sub imagine catarrhalium, quotidianarum, aut lymphatico-biliosarum interdum accidunt; existimo etiam humores alios etiam humani corporis, postquam stasim passi sunt, vitiari, atque inde morborum varias successiones insurgere.

Sanguinem demum afficiendo accedente etiam saepius bilis actione, plurima mala gignit periodica, et recurrentia, uti sunt quidam morbi convulsivi, syncope, hae-

morrhagia, febris intermittens, erysipelas, hemicrania.

Longo autem utriusque miasmatis cum sanguine attritu globuli sanguinis sensim resolvuntur, atque in serum mutantur; imo vera etiam gangraena dissolvuntur: horum enim quaedam jam tradita sunt in tractatione de miliariis, alia exposita fuerunt in proxime superiori capite, atque distinctius omnia illustrabuntur in disquisitione symptomatum, et phoenomenorum.



CAPUT XVII.

SUMMA MORBI.



Morbi malignum miasma primum impetit cerebrum, et nisi a cerebro, et praesertim a pia matre retineatur, per telam cellulosam; maximeque nervorum descendit. Afficit primum nervos, qui auditui prospiciunt, et quinti paris propagines, aut nervos oculorum, sed et primos, qui ex medulla spinali veniunt, atque in si-

nistro potissimum latere irruit, atque tum per medullam oblongatam, et spinalem, cum per nervos cerebrales descendens in partibus infra caput multa mala, pluresque morbos gignit.

Provida natura primum urget ad cutim, tunc si per hanc viam, quae morbi veram judicationem facit, venenum non eliminetur, aut ex subsidente exanthemate veneno nervis cutis applicito mortem non afferat, intra sanguinem resorbetur, vel in cute persistit, aut subit membranam adiposam, musculos, et praesertim telam cellularem, ex qua, posteaquam ibi aliquandiu quieverit, iterum sanguini infunditur. Tela autem cellulosa viscerum, atque interioris corporis, similiter venenum recipit, et retinet.

Cutis post febrim exanthematicam, aut miasmatis ad cutim adventum, tractu temporis obturatur, muco textus cellulosi densato; tela autem cellulosa cutis temporis diuturnitate extenuatur cellulis vacuis, et veluti deletis.

Nervi ab actione veneni cum peculiari spasmo infirmantur, vis irritabilitatis diminuitur, bilis acuitur, et vitiatur, mucus viscidus, et foetidus evadit; lympha autem, et sanguis sensim condensantur spissitudine raro inflammatoria, atque

sanguis venenum, quod continuo valens natura ad minora vasa propellebat, denique intra se retinet. Lympha porro in vasis suis facile residet, sed materia morbifica sensim sine sensu eam atterit, atque etiam sub puris specie resolvit. Ultimo demum sanguis postquam venenum intra se retinuit, pro circumstantiarum ratione celeri, aut lenta, partiali, aut universali gangraena dissolvitur. Sive porro ex virium vitalium debilitatione, sive ex convulsionibus a nervorum stimulo, sive ex viscerum labefactatione, vel ex humorum inspissatione circuitum sanguinis adimente, vel ex humorum corruptione, et sanguinis gangraenosa degeneratione, extincto principio vitali, aegri moriuntur, posteaquam varias morborum successiones passi sunt, atque diutinum conflictum sustinuerunt.

CAPUT XVIII.

DISQUISITIO SYMPTOMATUM, ET PHÆNOMENORUM.

Alvi fluxus cur morbum non tollat.

Observatum est ab alvi fluxu morbum non superari, sed cessante alvi fluxu ad morbi superationem requiri sudores viscidos, foetidosque, qui exanthemata proferant. Vidi pluries per octo et amplius menses alvum liquidam cum febricula frustra perstitisse, sed nycthemeri spatio alvi fluxum cessasse per sudores purpuram exanthematicam ferentes; exanthemate autem evanescente rediisse iterum alvi fluxum, qui restituto exanthemate denuo sublatus est. Cum autem neglectus sudor fuisset, statim rediit alvi fluxus, qui nulla ratione amplius cohiberi potuit, et hominem sustulit. Similes autem inutilis diarrhoeae casus mihi se se obtulerunt, inde liceat asserere, eadem ratione, qua morbus sine emolumento in co-

ryza destillationem, in tussi copiosum excreatum producit etc. similiter a stimulo intestinis illato, et bilis separationem cieri, et alvi fluxum gigni, quin materia morbifica educatur. Dicendum ne est id evenire ex eo, quod vasa telae cellulosae nervorum non hient in cavum intestinorum?

Alvi segnities, et durities.

Quamquam venenum susceptum non soleat per nervos stomachi, et intestinorum evidenter descendere, nisi in morbo jam protracto, tamen non apparentibus adhuc morbis stomachi, et intestinorum, veluti clanculum post aliquod tempus ab initio morbi, et stomachum, et intestina per nervorum ductum venenum impetit, atque tubi intestinalis actionem infirmat, atque sensim mucum harum partium internam superficiem obducentem viscidiorem reddit. Afficiendo autem tunicam muscularem, atque fibras musculares de more suo decurtando efficit, ut intestinorum cavum coarctetur; porro bilem degenerem facit in nigram bilem convertens, atque ejusdem naturam, atque vim, quae ex ejusdem naturali compositione dependet, immutat. Motus igitur peristal-

ticus ex hisce omnibus caussis debet infirmari, atque nasci alvi segnities, atque etiam durities propter actionem intestinorum, et propter oscula vasorum in cavum intestinorum hiantia minus patula, quae minus contenta urget, sed potius in scibalas cogit. In provecto autem morbo multum languet actio intestini recti, atque idcirco tum ex ejusdem debili actione, tum ex excrementorum durorum collectione oritur quaedam inertia, atque difficultas ad alvum exonerandam.

Scibalarum vero forma, quae interdum a rotunda recedit, tum etiam conditio excrementorum, quae instar glomeris cujusdam multas simul inaequales scibalas continentis exeunt, ostendit coarctata intestina cum inaequali cavo compingere hac ratione excrementa in has inaequales formas, quae deinde in cavo intestini coli, et recti colliguntur. Haec vero scibaliformia excrementa, atque hi glomeres secum advehunt mucum album viscidum, et valde foetidum odore ab excrementis alieno, foetentes.

Minime autem praetermittam non exigui momenti observationem, quae sequens est. Massa excrementorum, quae alvo exonerantur ab his aegris, sive quotidie, sive aliquot dierum interposito intervallo,

evacuentur, insignis esse solet, atque est multo supra veterem consuetudinem: caussa vero non una esse videtur, cum degener bilis facta sit, neque propriam, et aequam saponaceam virtutem exerat simbolam suam. Non confert ad bonam chyli ex massa chimacea extractionem; insuper verisimile est minus libera perspiratione existente nonnulla etiam recrementa, quae per cutis viam secederent, actione naturae transmitti ad intestina. Porro minus incrementum, imo decrementum in morbo, qui jam multum processit, licet aegri voraces, et famelici sint, probat magnam ciborum partem in excrementa converti.

Anhelatio.

Anhelatio provenit ex fracta vi pulmonum, ex remissa vi sustinente circuitum sanguinis, sive illum alliciente. Spasmus ventriculi, et intestinorum debilitat etiam actionem pulmonum; sed et lympha in minimis vasis potissimum in imo pulmone, atque cortice ut ita dicam pulmonis haerens, anhelationem facit, et eadem caussa obsidens musculos pectoris caussa cujusdam dispnoeae est, neque praetermittam spasmum nervorum immediate pulmoni prospicientium.

Ardor, et frigus.

Ex miliarium veneno adveniunt sudores, sed hi propter actionem peticularum miasmatis, quae debilitat vim nervorum, atque infringit actionem arteriarum sanguinem vehentium, aliquem sensum frigoris interdum proferunt. Dum vero ad superficiem cutis materia propellitur, atque purpura apparet, rubens pars, quin tamen valde caleat, ardoris sensum in parte inducit; puto nimirum ideo ardoris sensum excitari, eo quod species quaedam phlogosis ab humore acerrimo inferatur circa papillas nervorum; ea pars corporis, cujus cutis profunde ab hoc veneno afficitur, statim friget. Credibile nimirum est ab hoc veneno constringi, et debilitari, et veluti vinciri arterias sanguinem ferentes, atque inde frigus oriri; phoenomenon in hoc morbo certissimum est, quod non modo in cute, verum etiam saepe in interno abdomine dimotus hic vapor malignus soleat primum sensum frigoris dare, atque hunc sensum, dum ad cutim properat, in caloris sensationem mutari, donec extima cutis pars rubeat, et ardeat. Aliquando autem aegri conqueruntur, ut dictum alias est, flamma quadam per varia corporis loca dis-

currente, quae tribuenda vapori hujusmodi maligno naturae erysipelatosae internas partes libere percurrenti, neque vasa vincienti, aut constringenti.

Atrae bilis quae caussa.

Pendet ne ex cumulata bile, quae in vesica fellea per moram talis reddatur? Alvus utique segnis, et dura, et quae affatim interdum bilis vomitu evacuatur, dum eodem tempore sanguini infusa biliosas, et nigras etiam urinas reddit, probant interdum revera magnam bilis copiam accumulari. Hujus accumulationis caussa est ne collocanda in infirmato motu peristaltico, et coarctatione duodeni ab actione veneni, unde defluxus bilis impediatur? Minor etiam cum spasmo sensibilitas choledoci, et vesicae felleae ex veneno allato per nervos, qui hepati prospiciunt, aliam caussam adjungit. Sed videmus fere continuo non modo per plures menses, imo per annos etiam in hujusmodi morbo nigras dejectiones, easque compactas perseverare. Sola igitur mora caussa non est. Ad hujusce phoenomeni explicationem sequentia animadverto. Peticulare venenum magnam cum bile ipsa affinitatem habet, atque ipsam vitiat, sed et

ipsum sanguinem sensim sine sensu labefactat, atque in fuscam naturam redigit; et sane in iis, qui hoc venenum a diutino tempore intra corpus tenent, pustulae etiam nigrae variis etiam locis erumpunt, epispastica nigram materiam interdum fundunt, fila nigra in urinis apparent, atque sputa in haemophtoe quandoque peculiarem nigredinem offerunt, quae omnia ostendunt sanguinem in minimis vasis lentescere, atque nigrum etiam evadere. Inde fit etiam, ut nostris temporibus sanguis e vena eductus soleat esse subfuscus, et tenerae consistentiae. Omnibus autem notum est sanguinem venae portarum ad bilis separationem ad hepar collatum, non solum propter lentorem suum, sed maxime propter actionem peticularis veneni commodius in hunc sanguinem vim suam exerentis debere fuscam, et solutam naturam acquirere; hujusce igitur sanguinis maxime soluti, et nigri redditi particulae poros biliarios subire poterunt, et cum bile ipsa conjungi, unde bilis nigredo nascatur, quae per accumulationem, et lentorem in cursu suo adaugebitur. Hanc etiam caussam esse puto, propter quam in morbis malignis, cum jam sanguis gangraenoso modo resolvitur, aegri cum mors imminet, ni-

gra dejiciunt. Haec autem bilis nigra, ut planum est, debet omnino differre ab illa, quae talis redditur per solam moram, uti evenit in ictero nigro. Ea quidem tantopere acida fit, ut dentes stupidos reddat, argentum denigret, cum solo effervescat; nostri autem morbi bilis atra numquam talia phoenomena ostendit, sed amarorem servat, atque peculiariter foetet.

Caloris defectus.

Quum in hoc morbo licet febrili cutis saepe parum aut non caleat, imo in obturata cute cutis frigeat, et maxima sit frigoris intolerantia, inde argumentum deducitur dicendi calorem speciatim nasci ex affrictu filamentorum nerveorum in cute.

Cur post cibum assumptum aegri melius se habeant.

Familiare admodum est hisce aegris, ut ab assumpto cibo tollantur caephalalgia, incommoda stomachi, sensus lypothimiae, atque totius corporis quaedam imbecillitas, atque alacriores, fortioresque reddantur. Adeo insignis mutationis caussam ego ponerem in aucta per alimenta vi nervorum stomachi, qui ut no-

tum est multum cum corde, et cerebro consentiunt, unde fit, ut circuitus humorum promoveatur, qui in hoc morbo lentus, et debilis plura incommoda gignit.

Color pallide luteus.

Color pallide luteus non dependet semper ex bile, sed ex imminuta vi cutis sanguinem alliciente, et fortasse ex sanguinis globulis resolutis, mucumque tingentibus, aut lympha ipsa, quae stasim aliquam, et corruptionem patiatur.

Color pallidus.

Qui jam ab aliquo tempore hoc morbo detinentur, et in quibus venenum ad cutem delatum est, atque ibi haeret, frigoris sunt impatientes, pulsum habent debilem, parvum, et tardum etc., etiam aestate non sudant, atque in eorum brachiis, et tibiis pustulae fatuae cuti concolores frequenter oboriuntur etc. Pallidi autem sunt propter minorem appulsum sanguinis minimis vasis a veneno constrictis.

Contagium.

Est morbus contagio susceptus, quod

ostendit novitas morbi, atque facilis diffusio ab aegro in assidentes.

Contumacia morborum capitis quare.

Non miraberis autem contumaces morbos capitis esse, et sine febre in hoc morbo evenire; dolores enim varii, rubentesque maculae in cute, atque praesertim in altera gena, et collo pedis, aut levis rubor malleoli ad diutinum tempus, et sine mutatione persistunt. Idem igitur venenum in cerebro immutatum diu perstare potest; actio autem cordis, et arteriarum ad minima vasa expedienda debilis est, neque stimulus in cerebro motum arteriarum sollicitat eo quod vis alliciens, et promovens circuitum sanguinis posita sit non in origine nervorum, sed in eorum extremitatibus.

Convulsiones.

Convulsiones in hoc morbo variae sunt. Quae nascuntur ex stomacho raro mentem adimunt, nisi vehementes fuerint, et una adsit stomachi inflammatio. Ex cerebro irritato oriuntur convulsiones epilepticis similes; ex medulla oblongata, et

spinali tetani, et variae convulsionum species: ex nervis praecordiorum, diaphragmatis, et pulmonum, atque etiam oesophagi, deliria, varia animi pathemata, desipientiae variae, eaeque saepius non modo cum musculorum faciei, et oculorum convulsionibus, sed desperatio, animi abjectio, et timor mortis perpetuus. Animadverto in iis, quibus per diuturnum morbum exanthematicum sanguis, et humores majorem fluiditatem acquisierunt, atque vehunt maligni miasmatis particulas, quas natura non eliminavit, per diutinum tempus motibus convulsivis fatigari, atque eos etiam aestate molestiores esse, eo quod hujusmodi stimulantia principia per auctam humorum fluiditatem facilius possint subire minima vasa, quae in cerebro sunt. Convulsiones, quae propriae sunt miliarium subsidentium, multo mitiores in hoc morbo, quam in miliari tribuendae ne sunt muci papillas oblinientis visciditati? Cuticula in hoc morbo crassior est, firmiusque cuti inhaeret, atque aegre patitur diduci in majores vesiculas. Dicendum ne est miasma miliarium lymphaticis vasis ferri super papillas nervorum progredientibus, atque subsidentes vesiculas adigere veneni particulas intra papillas? Venenum autem peticularum

videtur potius haerere in extremis arteriis sanguineis, aut ab iisdem effundi in telam cellularem.

Corpulentia.

Exanthematis non paucis disparentibus sine evidenti ratione, atque crisis perfectione motus febriles multum diminuuntur. Pulsus fiunt fluido-elongati, deinde graciles, et in motu suo lenti. Tunc materia morbifica transfluit in membranam adiposam, atque ibi remanens, allicit majorem adipis separationem, atque oscula cellularum fortasse constringendo cogit adipem accumulari. Certo post hunc transfluxum fames nascitur etiam intensa, atque aegri etiam in lecto corpulenti evadunt cum febris, atque aliorum phoenomenorum quiescentia.

Crampus.

Profundius miasma haerens in musculis exempli caussa tibiarum crampum gignit; stupor autem pungitivus oritur ex stimulo nervorum in extrema cute a miasmatis miliarium particulis, qui cessat elatis pustulis. Si manus in hoc morbo sensum plenitudinis, et torporis jam habentes

aquae calidae immergantur, statim nascitur stupor pungitivus, fortesque puncturae persentiuntur.

Crepitus ossium.

Crepitus ossium ex muci articulorum visciditate in provecto morbo advenit, atque frequentior in vertebris colli, et genuum articulatione.

Cutis consensus.

Consensus cutis cum oesophago, ventriculo, intestinis, renibus, et vesica urinaria probant horroris cutanei sensus ex stimulo memoratas partes percellente; confricatio etiam alterius internae auris horrorem in toto corpore excitat.

Cutis plenitudo.

Constans est observatio, quod in morbo chronico plenior cutis sit luna crescente, macilentior decrescente: magna est varietas in plenitudine cutis pro variata translatione miasmatis, et aliquando lunae phasibus respondisse evidenter visa est. Foeditates etiam cutis quaedam huic morbo propriae, ut scabies, contumacis-

sima quaedam epsorae species omnino phasibus lunae memorata ratione respondent. Certum etiam est per lecti teporem cutem intumescere, et pleniorem esse, multum extra lectum extenuari, praesertim a frigore: prout nempe fugacis naturae miasma aut ad cutem allicitur, vel ad interiora repellitur, summum discrimen in cute adparet. Cutis etiam praesertim faciei magna inconstantia modo plena, modo collapsa observatur propter eamdem rationem; post somnum fere semper facies plena est.

Dejectiones nigrae.

Dejectiones nigrae quandoque reapse veniunt ex atra bile, quae in duodenum prorumpit, suaque signa habet posita in doloribus colicis, vomitu, lypothimia, atque urinis biliosis etiam nigris. Interdum venae intestinorum varicosae factae, et disruptae fundunt sanguinem, qui primum niger est bilem nigram exhibens, sed progressu temporis cruorem verum ostendit. Hujusmodi evacuationes foetent odore cadaveroso; eas praecedunt plus minus acerbi intestinorum dolores, et varie recurrentes, etiam cum lypothimia conjuncti. Hic morbus illustrari, atque

explanari potest exemplo varicum, quae minime raro praesertim in tibiis apparent illorum aegrotantium, qui in hanc infirmitatem inciderunt. Observo enim aream cutis, in qua varices sunt, quadam impetiginis specie cum ardore, et pruritu juncta occupari, quae, si squammatim cuticula decedat, evanescit. Tunc autem varices flaccescunt, et resolvuntur; haec resolutio etiam contingit in morbo acuto si sudor adveniat. Existimo igitur ab acri humore stimulante telam cellulosam contrahi, et venas vinciri, atque in varices amplificari, et similem effectum ab eodem veneno internam intestinorum membranam afficiente produci; eadem etiam caussa est, propter quam haemorrhoides sive internae, sive externae adeo frequentes nostris temporibus sint. Duodenum autem huic morbosae successioni magis obnoxium est, atque colica duodeni non raro in fine hujusce morbi hominem e medio tollit cum nigris, et sanguinolentis dejectionibus.

Hac occasione etiam commemorabo venas brachii modo unius, modo alterius, sed saepius dexteri modo intumescere, modo subsidere; aegri autem consignarunt sensum aurae cujusdam frigidae, deinde calidae ad brachium appellentis,

atque pruritum in extima cute afferentis, quod familiare est in hoc morbo quando malignum miasma ad cutim transfertur, atque interiores abdominis partes afficit.

Eradicativae curationis difficultas.

Materia morbifica, quae morbum facit, facile in minimis vasis diversorum generum quiescit; minima etiam vasa telae cellularis nervorum subire solet, ex quibus non ita facile ex integro potest extricari. Sola morbi judicatio fit per exanthemata, per quae debet eliminari duplex venenum, quod materiam morbificam constituit, sed unum alteri impedimentum ponit ad convenientem, constantemque eruptionem. Praeterea cum in cute sanguis, et lympha facile resolutionem subeant post longam stasim, et diutinum affrictum neque exanthemata, neque sudores persistunt, sed materia transfluit, et resorbetur ad sanguinem morbum deinde renovatura. Haec rerum conditio facit, ut nonnisi per repetitas, et diutinas exanthematicas eruptiones morbus queat superari, facileque possit aut in muco cutis, aut in tela cellulosa remanere seminium, quod temporis successu per circuitum humorum

huc illuc transvectum, atque defixum alios morbos, atque demum febris exanthematicae curriculum reducere debeat.

Fames.

Fames oritur statim quando disparente exanthemate materies morbifica partim haeret in substantia cutis; sed majori ex parte videtur subiisse membranam adiposam, atque ibi sedem suam figere, dum reducentia vasa subit sanguis (quod probat conditio pulsus cum quadam fluiditate elongati, minus elati). Tunc statim cibum appetunt, deinde fame torquentur. Existimo autem a stimulo in cute haerente, qui vim vitae etiam exstimulat, atque transfluxu liberiori facto sanguinis, praesertim in vasa reducentia, allici undam sanguinis ad exteriora, minoremque fieri determinationem ad interiora. Ii etiam, quibus vis nervorum stomachi infirmatur, quin adsit muci in stomacho praesentia, cibum appetunt, atque saepe volunt, licet paucum assumant, ut vires, quas deficere sentiunt, instaurent. Anne unda sanguinis minori vi, et quantitate ad stomachum delata, atque diminuta vis nervorum stomachi fibras carneas regens famem gignunt cogendo rugas stomachi

subsidere, atque papillas confricare? Observo famem ea ratione, qua hominis aetas crescit, eadem proportione generatim decrescere, sed animadverto etiam per aetatem vasa praesertim cutis minus pervia esse, minoremque fieri sanguinis, et humorum deperditionem, atque vim allicientem, quae organo cutis inest per aetatem diminui. Ergo in facilitate transitus sanguinis per cutem in revehentia vasa quaerenda caussa est famis prompte nascentis. In morbo autem chronico, nisi plurimum infirmati sint, atque muco obducti nervi stomachi, fames aegros vexat verisimiliter a stimulo in cute persistente, et ex sensu deficientiae propter infirmatum tonum nervorum.

Febris nulla, aut vix nulla.

Sanguine denso retentum miasma febrem occultat; stimulus enim intra vasa sanguinea agens non allicit circuitum sanguinis, sed incitat arterias ad ictum perpendicularem, qui circuitum non promovet, atque a sanguine denso ea fit resistentia, ut sanguinis motus infringatur. Huic rerum conditioni tribuendae fortasse sunt apoplexiae, pulmo repletus, et syncope. Ex nimia etiam sanguinis fluiditate

febris disparet, cum ille affrictus fieri nequeat, a quo proficiscitur sanguinis circuitus, atque febris. Idem etiam fere evenit ex infirmato tono nervorum.

Flamma discurrens.

Flamma discurrens in tertio, et quarto stadio frequenter evenit, atque praesertim in iis occurrit, qui biliosi temperamenti sunt: eadem nimirum materia, quae in externo corpore ruborem facit intus etiam celeriter procedens, de loco in locum sensum flammae discurrentis facit, quem pendere puto a materia morbifica bilem etiam saepius retinente, quae longo attritu veluti in vaporis tenuis speciem est resoluta, eaque flamma discurrens persentitur in abdomine frequenter, et per cutem, atque ex artubus inferioribus ad caput ascendens illud illico perturbat, et submovet. Si ad jugulum se figat, phlogosim faucium visibilem facit: accidit etiam, ut ab interioribus ad exteriores partes feratur ipsis aegris ejusdem progressum sentientibus, et advertentibus; quando vero ea venit ad externam cutem, ibi ruborem, et ardorem excitat.

Foetor peculiaris pendet ne ex vi corruptiya hujus miasmatis agente in mucum? Mucus nasalis ab hoc miasmate foetet, similemque foetorem habent mucus faucium, oesophagi, ventriculi, pulmonum, et intestinorum, atque consentit etiam odor sudoris. Foetidus, et fere cadaverosus odor excrementorum pendet utique interdum ab atra bile, et sanguinolentis dejectionibus, non ab alimentorum perversione, sed praesertim a muco vitiato ita, ut eadem caussa, quae consimilem odorem materiei sudoris praebet, eadem et similiter mucum graveolentem intestinorum reddat. Video ex vitiata alimentorum in stomacho concoctione, nidorosum odorem excrementa acquirere, alvum fluidam reddi, anorexiam nasci. Nostro autem in morbo interdum nulla anorexia est, nullus abdominis dolor, et alvus segnis, et adstricta, et in scibalas compacta excrementa evacuantur fusca, obscure viridia, aut a naturali colore vix recedentia, muco saepissime obducta, que talem odorem proferunt; caeterum et nigrae, et pallidae dejectiones simili odore foetent. Observavi etiam eos, quos falsa hydrophobia prehendit, multo an-

tea, quam hydrophobia se se monstraret, nihil praeternaturale in excrementis habentes similem malum odorem ex ore exhalasse; puto igitur ex muci intestinalis praesertim alteratione hujusmodi odorem, foetore suo intolerabilem, esse repetendum. Denique sudor ipse mucosus, viscidus, foetidusque esse solet, sputa quoque glutinoso-mucosa, rejecta tussi ab hac caussa producta simili ratione foetent. Os etiam matutinis horis foetet, simili odore in iis, quibus stomachus ex morbo affectus est, quin etiam coenae tempore assumpta sint alimenta. Caussa igitur residet in veneno, quod muco inhaeret.

Frigus pedum.

Frigus pedum nascitur ex virium imbecillitate. Venenum hoc sanguini infusum infirmat vim arteriarum, si praesertim sanguini inhaereat: obturata cute, et idcirco deficiente magna portione virtutis allicientis circuitum sanguinis, quae inest extremis vasis in cutis organo, non rigor, aut horror, sed diuturnum frigus pedum vix subsequente intenso calore producitur. Tales esse solent febres quotidianae, et intermittentes hoc tempore

natae. Alia etiam ex caussa frigus pedum provenit: venenum facile ad caput rapitur, atque jam existens sanguinem ad illud attrahit: cum igitur unda sanguinis ad caput alliciatur, atque etiam ex infirmato tono nervorum diminuatur vis cordis, et arteriarum, facile idcirco esse debet frigus pedum. Ii, quibus pedes frigent ex inaequali sanguinis distributione, majorique ad caput raptu, magnum levamen sentiunt a situ corporis perpendiculari; et sane id familiare est iis, qui hoc morbo chronico detinentur. Pluribus etiam aliis circumstantiis, et in hoc morbo frigus pedum accidit, ut in enteride, contumaci tibiarum phlegmasia, in doloribus stomachi, et intestinorum etc., sed eas tantum circumstantias innuere placuit, quae proprie ad morbum pertinent, non ad secundarios morbos.

Fugacitas.

Fugacitas hujusce veneni instar aurae calidae, aut frigidae etc., atque cita, et irregularis transmissio ab uno in alium locum caussa est tam diversorum phoenomenorum repente advenientium, atque etiam spasmorum. Hinc intelligitur, cur homo repente in magnam imbecilli-

tatem, sive virium prostrationem incidat, atque brevi suum robur iterum acquirat; cur erysipelas adeo fugax sit etc. Peticulare nempe venenum diutino affrictu ex actione miasmatis miliarium contractilem vasorum actionem in contentum fluidum adaugente, ut ita dicam, attenuatur in vaporem quemdam, qui huc illuc tum a vasis sanguineis urgetur, cum etiam telam cellulosam promptissime permeat. Horum miasmatum connubium facit, ut longo attritu, et affrictu materia haec morbifica, ut diximus attenuata, cito possit transferri per minima vasa cerebri, et caussa sit tot malorum ex cerebro provenientium, quorum nostris temporibus magna frequentia est.

Hepatis, et lienis obstructiones nunc temporis cur sint longe rariores.

Mutata bilis conditio, major sanguinis fluiditas in confirmato morbo; in morbo autem non provecto stimulus a miliarium miasmate illatus in caussa sunt, cur obstructiones memoratae nostris temporibus, atque illae potissimum, in quibus memorata viscera distenduntur, et attolluntur, rarissime eveniant. Iterum autem consulat Lector quae de bilis conditione pluribus locis tradita sunt.

Horror inter mingendum, atque urinae incontinentia.

Horror quidam inter mingendum, dum micturitio incipit, observatur, quando miasmatis miliarium particulae externam cutim afficiunt; tamdiu vero perdurat, quamdiu hujusmodi particulae in cute existunt, earum autem praesentiam alia signa demonstrant. Hic horror aliquando totum corpus succutit, atque evacuato miasmate per vesiculas, aut eodem resorpto evanescit; sed quidam ad mingendum stimulus cum aliquo etiam horroris sensu provenit ex translato miasmate ad collum, et vesicae sphincterem, atque parti quam tenet quamdam sensibilitatem, et debilitatem infert, unde fit, ut stimulus oriatur micturitionem urgens, quo demum crescente vix retineri lotium potest, atque denique urinae incontinentia nascitur. Hujusmodi stimulus, atque vesicae constrictio trahit ad se intestinum rectum, ita ut dum urina mingitur, quae in postremo intestino recto existunt, evacuentur, si flatus autem in ea rerum conditione exitum quaerant, ii per anum recta non protruduntur, sed veluti clanculum, atque multo posterius exeunt.

Hoc autem symptoma in tertio, et quarto stadio observatur.

Hydrocephalus internus rarior.

Memini viginti, et ultra abhinc annis non infrequentem extitisse in pueris quamdam hydrocephali interni speciem, quae triginta, quadraginta, aut sexaginta diebus eosdem e medio tollebat. Tristes, et melancholici primum reddebantur cum pulsu aliquantum contracto et lento, sed non febrili, et de dolore capitis identidem conquerebantur: urinae erant tenues, et aquosae; parum appetebant, post decem, aut quindecim dies quotidiana febris se se explicabat neutiquam vehemens, dolor capitis, qui erat gravativus, in dolorem lancinantem ad tempora, et recurrentem mutabatur, atque noctu si dormirent terrefacti clamabant, et subsiliebant, identidem ad caput praesertim sudabant, atque vomendi conatus quandoque revertebatur, tendines evidenter subsiliebant, musculi faciei aliquantum convellebantur, et post vehementiores aliquos dolores soporosi evadebant; sed epilepticis motibus identidem corripiebantur, qui frequentius recurrentes postquam per plures dies extitissent mente omni carentes, et sopo-

rosi, aliquot dierum spatio, deinde lente interibant. Calvaria resecta in conspectum venerunt vasa lymphatica cerebri distenta, atque cum multa seri in ventriculis, et ad basim cerebri collectione, vasisque sanguineis turgentibus.

Si prompte sanguis missus fuisset, epispasticum occipiti admotum, atque mitibus diaphoreticis, una cum resolventibus antispasmodicis sudor excultus fuisset, apparenti supra pectus, et collum exanthematum, sive miliarium eruptione, servabantur.

Verum cum ex praejudicata opinione accusari vermes soleant in pueris, negligaturque venae sectio, interdum sero nimis instituta, et etiam inscio Medico repetitis vicibus purgantia anthelmintica praescriberentur, misere pueri perdebantur. Hisce aegris extractus sanguis semper densus coccineus, et seri expers erat.

Interim minorem hujusce mali frequentiam repetendam esse duco ex mutata rerum conditione, ex qua evenit, ut fluidior sanguis in cerebro non amplius ut olim simili ratione accumuletur, qui ibi collectus una miliarium miasma defixum retinebat.

Icteri raritas.

Cum bilis acris reddita, tum etiam venenum substantiam vasorum in hepate permeans, et stimulans, urgeat bilem, inde fit, ut icterus rarus sit, rarae etiam sint obstructiones. Icterus interdum evenit in colica duodeni, quae constringit coledochum ductum, et cogit bilem resorberi, verum superata colica paucorum dierum spatio evanescit: si aliqua nascatur in hepate obstructio, hepar dolet, neque attollitur, atque accedit ad obstructionem, quam veteres *siccam* dixerunt. Caeterum cum in hoc morbo vix eveniat, ut bilis ex hepate resorbeatur, ut sanguini infundatur, atque bilis, quae in cistide fellea. colligitur propter actionem materiae morbificae in atram bilem convertatur, non autem in bilem flavam, vitellinam, ardentem, etc. Hinc evenit ut nostris temporibus rarae admodum sint illae febres biliosae, quae olim frequentes erant.

Imbecillitas artuum inferiorum.

Haec imbecillitas certo interdum nascitur ex affecto cerebro, et medulla spi-

nali *. Saepe autem pendet ex compressione medullae spinalis infra lumbos, et sane eam praecedere solet dolor lumborum, et quandoque sensus rigiditatis a collo ad os sacrum. Certo etiam materia morbifica ab extima cute ad subjacentes musculos repulsa musculorum irritabilitatem, atque actionem labefactans, et eorumdem imbecillitatem affert. Repentinum frigus hanc veritatem docet: subito enim in iis, quibus venenum in cute hospitatur ex aliorum phoenomenorum testimonio, ex frigore in maximam imbecillitatem incidunt praesertim artuum inferiorum, quae evanescit, attracto iterum humore ad extimam cutem, elicitoque imbecillarum partium sudore, atque ii, quos tenet memorata imbecillitas, si tibiae paullo fortius contrectentur ita, ut contrectatio ad musculos perveniat de profundo quodam dolore ex contrectatione conqueruntur. Ii, quibus venenum inter initia morbi ad pectus, aut abdomen de-

* Vir quinquagenarius, qui clanculum hujusce morbi seminium gerebat, et ex consuetudine pustulas varorum similes in dorso habebat, cum eaedem ex parte evanuissent, corripitur vertigine, eodemque tempore incidit in magnam artuum imbecillitatem. Vir alter similiter vertigine tentatus, debiliore facto sinistro pulsu, et collo ad dexterum latus tantillum converso similiter experitur magnam artuum debilitatem.

scendit, saepius nunc habent artuum inferiorum imbecillitatem.

In musculos actio.

Musculi debilitantur ab infirmata nervorum actione, ex compressione, atque etiam ex infuso in eorumdem substantiam miasmate, a cujus praesentia decurtantur, rigent, et tractu temporis attenuantur, atque contrectati, distractique dolent. Si venenum ab eorumdem substantia dimoveatur, et per superpositam cutim venenum translatum per sudorem, pustulasque exeat, musculi, et nervi etiam liberantur.

Si vero, quemadmodum quandoque in quarto stadio evenit, firmiter venenum in corpore musculorum persistat, eosdem ad quamdam lentam gangraenam disponit, et facile convulsiones infert. Occasionem habui videndi homines in misera hac conditione rerum collocatos, qui ne tantillum loco dimoveri poterant, quin statim animo deficerent, et motibus convulsivis concuterentur.

Evenit interdum, ut stimulus in fibris medullaribus ea lacessat nervorum filamenta, quorum ministerio animus irae actionem exercet. Hujusmodi stimulus saepe nascitur a bilis ipsius deviae particulis ad cerebrum translatis. Alias autem irascibilitas provenit ex bile ipsa hepar, maximeque vesicam felleam irritante. Quemadmodum tempore irae anima ope nervorum hasce partes succutit, ita vice versa ex harum partium succussione quemdam determinatum motum efficiente nascitur ira. In hoc autem morbo facilis esse debet haec animi affectio propter bilis accumulationem, et vitium. Sive bilis cerebrum feriat, sive vesicam felleam exstimulet, unde major nascitur promptitudo ad spasmum nervorum irae famulantium, sed et anima ipsa, quae natura sua nocent, aut nocitura sunt avertere satagit, aversa detrectans, in iram prolabitur ex minori propter morbum rationis usu, faciliorique, et promptiori propter recensitas caussas nervorum dictorum spasmo debet ad irascibilitatem proclivis esse. Hisce addatur nervos, ut ita dicam, interiores cerebri, animaeque propiores ultimo debilitari.

Ischuria advenit saepius iis, quibus obturata jamdudum cute, aut attracta per purgantia materia morbifica in abdomen ad vesicae collum collecta vitiosa materies est; ea porro aut tumorem ibi gignit, aut collum, aut sphincterem ita afficit, ut urinae suppressio nascatur, quae etiam ex eo facilius evenit, quod per venenum infirmata sit actio musculorum, quorum actione expelli lotium debet.

Ischuria quandoque etiam mutatur in stranguriam, aut mingendi frequens desiderium. Post se facile trahit ani incontinentiam eo praesertim momento, quo mingendi impetus urget, demum transit relaxato sphinctere in urinae incontinentiam. Quandoque post rigorem ad alium locum venenum transfertur, atque febri excitata, evidentiori, fortiori, natura curat febrim exanthematicam cum vesicae liberatione, sed rarum est, ut haec febris exanthematica bonum exitum habeat. Una cum aliis memoratis vesicae malis ischuria consuevit in fine tertii stadii, et quarto advenire, atque mali ominis est. Senibus autem non infrequens haec calamitas est, atque collectio materiae morbificae ha-

benda est tamquam metastasis vitiosi humoris ad hasce partes delati.

Judicatio, sive potius disparitio morbi, fallens.

Ex cute in difficili exanthematum eruptione sub hoc affrictu sanguis demum aliquam subit resolutionem, atque iterum corruptivus humor intus refluit, aut sanguini iterum permiscetur, aut in membrana adiposa subsidet, quo in casu febris disparet, convulsifica symptomata etiam evanescunt, atque aeger ad salutem restitutus videtur; plenior interim, et obesior fit corporis habitus; urinae tamen tenues semper permanent purissimum oleum olivarum referentes, vix turbatae, sed tractu temporis ex ira, aut suppressa perspiratione, adipis ipsius resolutione iterum morbus renovatur; pulsus post translatam materiam in membrana adiposa etc. neutiquam validi, aut expansi; sed naturali multo breviores, et humiliores sunt; nullus sensus adest doloris, et rarus stupor pungitivus. Nullibi vero diutius vitiosus humor conquiescit, quam in mesenterio. Tunc temporis aegri bene dormiunt, appetunt, sua officia commode exequuntur, nullum incommodum sen-

tiunt, atque se omnino sanos existimant, negliguntque ea, quae facienda adhuc essent ad morbi eradicationem convenienti tempestate instituendam; non modo autem aegri decipiuntur, sed Medicos etiam minus sollertes fallit haec apparens bona valetudo. Fallens etiam judicatio occurrit interdum translato ad cerebrum maligno humore; per hanc enim translationem praeter febrem disparent etiam alia incommoda sola permanente aurium surditate, aut coryza. Alia etiam ratione fallens judicatio contingit, uti dictum est in cap. de conticescentia.

Lateris sinistri debilitas.

Non modo brachium sinistrum debilius est, minusque sentit, facileque friget, sed etiam totum latus sinistrum debilius, et minus sensile redditur, in provecto morbo facile friget, duriores frictiones, atque cucurbitularum scarificationes minus sentit, atque pedis ejusdem lateris venae in aqua praecalida vix intumescunt ad venam secandam, sectaque vena sanguis non prosilit. Haec omnia, uti patet, nascuntur ex parte sinistra medullae spinalis infirmata. Sinistrum etiam latus illud est, quod paralyticum consuevit evadere.

Lateris alterutrius phaenomena, et saepe sinistri.

Omnibus iis, quae in hac aegritudine eveniunt expensis, et comparatis, non aliam horum phoenomenorum rationem reperio praeter eam, quam offert major vasorum cerebrum adeuntium in sinistra parte amplitudo, atque origo ex arteria aorta, ex quibus fieri debet, ut sanguinis circuitus per sinistrum haemisphaerium expeditior, liberiorque esse debeat, atque exinde minus facile humores in eo latere possint subsidere, cum in dextera parte arteriae minores sint, et ex subclavia nascantur, quo fieri debet, ut facilius haerere humores possint in dextero haemisphaerio. Porro verisimile est fibras nervorum per quamdam decussationem ex opposito haemisphaerio venire, atque hinc sequi debet, ut laeso haemisphaerio dextero nervi sinistri * lateris infirmentur.

Primi autem, qui afficiuntur sunt nervus

* Paralysim sinistri lateris imminentem pluries observavi proxime antecessisse fortissimum dolorem internum capitis in dextero latere. Quod si agatur de dolore capitis interno, latere sinistro affecto, dextera pars capitis dolet, atque in iis, quibus familiaris est erysipelas, in dextera gena advenit. Haec autem omnia videntur ostendere majorem fieri plethoram, atque humorum accumulationem in dextero latere, affecto ex paralysi, aut debilitate etc. sinistro latere.

quinti paris, nervus auditorius, et prima paria cervicalium, deinde nervi spinales sinistri lateris acuto morbo afficiuntur.

Sed actio veneni medullam cerebri, et nervos afficiens in iis quemdam spasmum cum debilitate conjunctum producit. Hisce autem constitutis facile erit intelligere, cur auris sinistrae lobulus, corpore auris minus flexili existente, brevior, et gracilior reddatur; cur gena sinistra etiam tenuior sit, atque buccae magis appressa; cur brachii sinistri pulsus, et minor, et debilior sit; cur auris sinistra praesertim sussurret; cur brachium sinistrum gracilescat; cur in musculis abdominis existens materia morbifica, per musculorum anastomoses, facilius impetat musculos pectoris in latere sinistro debiliori; cur pustulae copiosiores sint in dextero latere, atque multo promptius desquammentur; cur denique odontalgia, quae pertineat ad nervorum spasmum frequentior sit in eodem latere sinistro.

Caput autem supra sinistrum latus ad somnum componere plerumque incommodum est, eamque in capite perturbationem infert, ut in oppositum latus se se aegri vertere debeant. Strepitus autem quicumque valde molestus auri sinistrae est, dum in aure dextera obtusior audi-

tus est; horum phoenomenorum quaedam similiter indicant nervos auris sinistrae, aliosque ejusdem lateris quemdam spasmum suscepisse. Alia autem probant majorem fieri in dextero cerebro vasorum plenitudinem, atque fortasse perturbationem capitis, ex contraria nempe super sinistrum latus capitis compositione, nasci ex commotione, et pondere collectorum in dextero haemisphaerio humorum. Reliqua insuper phoenomena, ut capillorum, et barbae, atque omnium pilorum in sinistro latere major mollities *, et in

* Anne affinis est caussa, ex qua provenit summa mollities, et brevitas capillorum in nigritis? atque color nigritarum, qui certo residet in textu mucoso tribuendus erit vitiatis a forti calore ob ignis animalis jacturam, mutatisque sanguinis, et bilis particulis ad textum mucosum praesertim per filamenta nervorum delatis? Dicendum ne erit calore mucum textus cellulosi viscidiorem reddi, atque prohibere majorem affluxum humoris nutritii, qui incrementum capillorum promovere, majoremque firmitatem dare debet? Cutis partis sinistrae in nostris aegris, nisi viribus naturae materia morbifica ita propulsa fuerit, ut impetiginem, aut pustulas fatuas, aut in provecto morbo arefacta extima cutis fuerit, certum majorem, quam in dextero latere laevitatem habet ob mucum interpositum, et densiorem redditum, minimulas papillarum protuberantias abscondentem, atque minimas intercapedines, et oscula vasorum opplentem; tum etiam propter facilem pilorum decidentiam. Quam quidem cutis summam laevitatem habent nigritae. Observavi etiam nostris in aegris, sicuti in nigritis adnotavit Mekel (vid. Mémoir. de l'Acad. de Berlin an. 1753-55, quae continent insignis hujusce viri observationes) lentius variolas suppurare, atque suppuratas in crustas sero secedentes

colore minor mutatio, dum partis dexterae capilli suam firmitatem servant, atque juxta leges oeconomiae animalis suam canitiem ex ordine adipiscuntur. Cutis minor sensibilitas in parte sinistra, sive in capite, sive in brachio, sive etiam in toto latere sinistro (quando provectus morbus est) videtur ostendere nervorum, eorumque propaginum vim in sinistra parte diminutam esse, ex qua diminutione subsequitur in sinistro latere capillorum, et pilorum * minor vegetatio, et nutritio. Cum autem hujusmodi mala per infirmatae partis sudorem, atque exanthemata superentur, concludere liceat materiam morbificam lento gressu ex cerebro per nervos usque ad eorumdem extremitates progredi, non autem hanc debilitatem, aut ex resolutis nervis, aut ex compressione facta ad originem nervorum oriri, sed materiam morbificam comprimentem,

abire. Videant enim praestantes physiologi, num hujus textus mucosi majori visciditati, et minus extensili naturae tribuenda sit brevis vita nigritarum, atque longe minor, quam in Europeis sudoris facilitas; sed et nostri aegri, quibus ex morbo jamdudum existente, et aequaliter utrumque latus afficiente, et cutim laevissimam habent, atque aestate non sudant.

* Pili pubis in sinistro latere etiam molliores sunt, atque pili per brachium, ex. gr. dispersi in morbo provecto, minima vi evelli possunt, non autem in dextero, atque etiam pili supercilii sinistri minus crescunt, magis demissi sunt, et molliores.

exstimulantem per nervorum ramulos lento gressu procedere.

Neque haec phoenomena, ut jam planum est, tribui possunt cuidam lateris sinistri naturali debilitati; nam omnia contraria ratione sibi respondent in iis aegris, quibus non sinistrum, sed dexterum latus affectum est. Pluries etiam vidi tum in morbo acuto exanthematico, tum in morbo chronico a sinistra parte ad dexteram malum transiisse auri sinistra, et brachio ad naturalem magnitudinem redactis, et sensibilitate restituta, dextera parte juxta statutam regulam laborante. Post superatum feliciter morbum exanthematicum, non tamen omne virus expulsum, sed mobile redditum, modo sinister, modo dexter pulsus mutatus est cum cita etiam cutis externae sensibilitatis et aliorum phaoenomenorum mutatione.

Capitis ad dexterum latus deflexio, similisque oris tortura, et linguae minor in sua volutatione ad sinistrum latus flexibilitas, pinna etiam narium sinistra tantillum coarctata, et duriuscula instar auris sinistrae, dum dextera amplior est, et dextrorsum, et sursum paullisper tracta, ut planum est dependent ex majori robore musculorum antagonistarum, atque ex his patet, non modo nervos cervicales, sed

etiam nervos quosdam cerebrales cum quodam spasmo debilitatos esse.

Reliquum est, ut rationem demus aliorum phoenomenorum ad dexteram, et sinistram partem pertinentium. Nervi dexterae partis cum ex sinistra proveniant, et robustiores sint, inde fit, ut pulsus dexteri lateris validus existat; secretio muci nasalis commodior, et uberior fit ex latere dextero. Dextera quidem tibia facilius prae sinistra phlegmatia, et tumore tentatur, panaritia, erysipelas, aliaeque metastases potius in dextero latere occurrunt, abdominis etiam dextera pars magis tenditur in colica abdominis; sed quod singulare plane est, coxa sinistra, et mamma plenior esse consuevit si sinistrum brachium affectum sit, brachio sinistro macilentiori existente. Intelligo quidem valentiorem in dextero latere naturam propter majus robur nervorum, facilius posse materiam morbificam in dextero latere accumulare, atque urgere etiam ad extimam cutem, atque actum judicationis exercere. Verum ingenue fateor magnam alterius explicandi phoenomeni difficultatem: interim autem meam qualiscumque fuerit, conjecturam propono.

Observans corpulentiam nasci, atque pleniorem corporis habitum fieri, si ma-

teria exanthematica transfluat a cute in membranam adiposam, aut propulsa non fuerit usque ad extimam cutim, sed in membrana memorata remanserit, sequentem conjecturam propono. Materia primum irruens in latus sinistrum ita valde infirmat cum nervorum filamentis actionem arteriarum, ut nutritio, et sensibilitas brachii diminuatur. Sed in iis, qui sequuntur nervis minus adhuc fortasse accumulata eam vim relinquit, quae urgere possit vitiosam materiam usque ad membranam adiposam, atque augere idcirco corpulentiam dimidii hominis sinistri excepto brachio. In latere autem dextero longe validior actio arteriarum sustinet validius humorum circuitum, neque ii subsident in membrana adiposa, immo materia morbifica ad summam cutem urgetur, in qua praesertim maculae, pustulae, impetigo, erisipelas etc. apparent. Atque pellitur ad tibiam dexteram, dexterumque latus velut per metastasim, et jactum pars vitiosi humoris ab arteriis propulsi, cum in sinistro latere defluere videatur per telam cellulosam nervorum.

Libidinosi quare evadant.

Sentio libidinis impetum excitari ab ipso veneno spinalem praesertim medullam percurrente, atque ad organa genitalia delato, et potissimum ad testes, et vesiculas seminales iis, quas referam observationibus innixus. In morbo quidem acuto exanthematico ex subsidentibus pustulis, et materia morbifica translata ad occiput, primum quamdam obstipitatem intulit, deinde lumborum dolorem, quem exceperunt non continendae pollutiones praeter modum repetentes in homine quidem propter venae sectiones, morbique longitudinem jam viribus fracto. In morbo autem chronico ab aliis locis disparens exanthema, primum dedit dolorem in sincipite, et occipite, cum sensu cujusdam veluti internae abrasionis, posteaquam rigiditatem spinae, et lumborum dolorem, deinde frequentes pollutiones, quae vexare desierunt impetigine quadam pruriginosa circa anum, et perinaeum oborta.

Cuidam mulieri, quae hunc morbum passa fuit non ex integro judicatum, aestivis temporibus pustulae, et vesiculae passim in dorso efflorescebant, sed cum hae non amplius venirent approximante autumno, memoratis pollutionibus singulis

annis per mensem, et ultra fatigabatur. Pollutiones sunt citae, et sine forti erectione, atque molesta sensatio in prostatis, et vesiculis seminalibus persentitur, diu durans cum firmitate idearum cum libidine convenientium. Caeterum testes firmiores, et majores redduntur dextero plerumque majori. A masculis autem, et foeminis, hoc incommodum patientibus, et quibus fides adhiberi poterat, relatum est materiam spermaticam post haec irritamenta hac occasione emissam, solito uberiorem, et fluidiorem extitisse, et cum aliquo etiam ardoris sensu solito fortiorem magnam titillationem diu perdurantem, et veneris desiderium sustinentem, dedisse, quin certo aliquid luis venereae commisceretur. Hasce autem pollutiones iterato saepe recurrentes, et vix comprimendas consequuntur summa debilitas mentis, et imbecillitas artuum inferiorum, somnus gravis, et post somnum non modo sensus veluti corporis ponderosi facti, et lecto veluti affixi, sed imago, aut ut melius dixerim, species cujusdam tetani, cum colli, et brachiorum aliqua rigiditate, et non sine strepitu vertebrarum colli dum conantur corpus loco dimovere. In hanc autem molestiam praesertim ii, qui morbum habent ad tertii stadii finem dedu-

ctum; qui vero ex haereditate* tenent suae vitae decursu variis temporibus hunc impetum experiuntur etiam antequam perventum sit ad febrim exanthematicam, sive ad alterum stadium: materia nimirum morbifica quadam libertate cerebri telam cellularem permeans, fertur ad spinalem medullam, atque per eam defluens, urget verisimiliter ad partes genitales, non modo majorem spirituum animalium copiam, et ciet secretionem liquorum spermaticorum, sed et cum iis se se jungit, unde testium auctum volumen, et sensus cujusdam molestae plenitudinis, et ex partium titillatione idearum venerearum suscitatio, atque alteratio fluidorum spermaticorum, atque haereditaria transmissio proficiscuntur. Fluiditas certe major, atque sensibilis acrimonia exeuntis materiae spermaticae, tum etiam hujus ad libidinem irritamenti cessatio per advenientem impetiginem meam hac super re conjecturam fulcire videntur. Haec hominis positio, atque hic status organorum generationi inservientium, promptas reddit foeminas nuptas et puerperas ad conceptum. Cum autem in progressu morbi muco vi-

* Sive ex patre, sive ex matre hoc malum ad progeniem traducitur, sed fortasse, quantum quidem accuratum examen didicit, potentius a patre transmittitur.

scidiore reddito non pauca oscula vasorum hiantium occludantur, ex eorum obturatione eveniunt postea facilitas ad abortum, et praecocior sterilitas; et sane placenta emissa ab iis foeminis, quae abortum passae fuerant perlustrata diligenter, ostendit alicubi notabilem areae partem, quae calva erat. Haec autem observatio, atque consideratio docet medelam hujusce infortunii quaerendam esse non in remediis stipticis, tonicis, et corroborantibus, sed in iis, quae vasa aperiunt, mucum solvunt, atque morborum generalem conditionem emendant..

Lipothymiae sensus.

Sensus lipothymiae ex triplici praesertim caussa oritur; ex stimulo extremis nervis praesertim cutis applicito illata debilitate, et constrictione convulsifica vim vitae, sive vim allicientem, quae actionem cordis sustinet infringente; primario etiam ex cerebri laesione nervos vitales debilitante, quod probat repentina capitis turbatio, et vertigo, si venenum ab alio loco ad cerebrum transferatur. Sic observamus subito evanescentem quamcumque aliam affectionem ab hoc miasmate dependentem, et cerebrum afficientem etc.,

consequi virium debilitatem cum sensu defectionis. Ex affecto etiam stomacho, et oesophago haec animi defectio saepe nascitur. Omitto morbi degenerationem ad sanguinis potissimum resolutionem deductam, in quo statu aegri saepe animo deficiunt.

Luis venereae mutatio.

Hanc oriri existimo ex minori partium sensibilitate, et irritabilitate, minorique ad morbum inflammatorium dispositione. Sanguinis praeterea, atque humorum in confirmato morbo major tenuitas, visciditatem illam, quam peculiariter gignit lues venerea, etiam debilitat, dum actio miasmatis miliarium propria actione vitiosa urget ad cutem, unde fit, ut minor nascatur ad suppurationem et inflammationem gangraenosam dispositio, faciliusque dolores in ambitu corporis gignantur. Non modo autem familiaris leucorrhaea susceptam fortasse luem extra corpus ducit, sed et minus porrosa, atque denso muco obducta, externa uteri, atque vaginae membrana, minus facile per inhalantia vasa venenum recipit, atque absorbet.

Huic morbo proprium est, etiam in primo stadio, ut aegri memoriam sibi paullatim deficere advertant, atque haec calamitas crescit procedente morbo, ita ut denique in quarto stadio immemores fere sint, atque demum fatui reddantur. Certum quidem est ab hoc veneno nervorum actionem peculiariter infirmari; constat etiam corticem cerebri in hominibus hac aegritudine defunctis, mollem, et fere diffluentem esse, cum interim firma adhuc persistat, immo solito firmior medullaris cerebri substantia; phoenomena autem, quae ad laesam medullarem cerebri substantiam pertinent, in ejusdem progressu eveniunt. Cum autem primae particulae materiae morbificae a sanguine susceptae cerebrum impetant, verisimile erit primum ad corticem cerebri ferri, atque ibi stimulo suo vertiginem, et cephalalgiam facere; nam dum ea gignunt mala, quae certo ad medullarem cerebri substantiam propius pertinent, aegri de nullo dolore conqueruntur. Ex hisce concludo memoriae imbecillitatem vitio corticalis substantiae potius tribuendam esse, atque fortasse memoriae sedem ibi ponendam, ita ut idearum impressiones,

quae per sensus anima suscepit ad exteriorem cerebri partem sive corticalem transmittat, atque ibi figat; dum vero ex sede sua fibras medullares, quae animae ipsi famulantur, ut actiones suas exerat, ideas impressas ab exteriori cerebri parte aut videre, aut ad nutum revocare possit.

Suspicor autem cerebellum retinere impressiones illarum idearum, quas anima ipsa per idearum comparationem, ut ita dicam, creavit, aut eas iterum, atque iterum dirigendo suas fecit, atque cum videam eos, qui in hanc aegritudinem veniunt, idearum, quae recens per sensus venerunt facile oblivisci, sed illarum, quae olim excitatae sunt memoriam tenere, in hanc suspicionem adducor, atque opinarer alio loco ideas a sensibus primum receptas imprimi; alio autem loco ideas illas, quae vere ad animam agentem pertinent. Suspicionem confirmat capitis physica consideratio, ex qua constat eos, quibus occiput amplum, et productum est, multo magis memoria valere, atque eos, quibus breve, et veluti truncatum occiput est. De caetero multiplex ingeniorum ratio, variaque variorum hominum in facultatum exercitio conditionis facilitas, aut aptitudo ad varias scientias,

tum etiam quaedam dispositio ad arripienda, fovendaque virtutum, atque vitiorum, ut ita dixerim, elementa a sagaci, et accurato physionomiae indagatore perspiciuntur, qui scit ex vultu hominum mores noscere, atque ex capitis forma ingenium hominis, ejusque varias aptitudines metiri, et intelligere. Quantum autem conferat ad ingenii vim, animamque ponendam in commodo, ampliorique suorum actuum exercitio, jam abunde patebit consideranti rachiticos, quibus lentius ossa capitis indurata majorem cerebri evolutionem, majusque incrementum permittunt, ingeniosiores esse, atque e contra alpicolis nonnullis, uti incolis vallis Augustae Praetoriae, et Helvetis quibusdam non infrequentem esse stupiditatem, quam tribuo non tantum aëris siccitati, quantum pingui caseo, quo vescuntur, et aquae, quam bibunt terra calcarea refertae, unde cito nimis cranium ossificatur priusquam conveniens caeperit cerebri substantia incrementum.

Mortes inopinatae.

Inopinatae mortes certo nostris temporibus frequentiores sunt. Non modo autem aegri violento morbo, uti ex pulmone re-

pleto, haemorrhagia fortissima etc. cito intereunt, sed et brevissimo temporis spatio, ut paucarum horarum spatio pereunt. Morbi vero, a quibus abripiuntur sunt apoplexia convulsiva, syncopes vehementissima, et eclampsia proveniens ab affectis in cerebro nervis vitalibus, sed et convulsio nervorum stomachi, diaphragmatis, atque pulmonis syncopem, et dyspnoeam celerrimo gradu procedentem gignunt. Hi autem morbi plerumque proficiscuntur ex vapore maligno a sanguine, aut aliis partibus ad memoratas partes adducto, et earumdem actionem celeriter delente.

Muci mutatio.

Puto speciatim expresso sero mucum densari, et viscidum fieri, hinc insensibilitas cutis, obstipatio, cuticulae ariditas, pustularum color cuti similis; atque cuticula etiam firmior, et crustosa evadit. Eadem caussa sensibilitatem nervorum infringit, et irritabilitatem fibrae imminuit; utraque vero ex caussa circuitus humorum imminuitur, alvus segnis fit, motus peristalticus languet sine abdominis elevatione, et tensione: a muco etiam obtegente nervos oesophagi, et ventriculi im-

minuitur desiderium potus, et cibi; sed peticularis veneni particulae cum lentescente muco coalescentes, eumdem peculiari modo corrumpunt.

Muriaticus sapor salivae.

Muriaticus sapor salivae, qui evenit in confirmato morbo, proficiscitur ex cute obturata, atque lotii tenuitate: muria nimirum cum evacuari non possit, salivam inficit. Hoc autem phoenomenon observavi frequentius esse in iis, qui parum, aut minime sudant aestivo etiam tempore, lotiumque aqueum effundunt.

Nigredo sputorum.

In morbo confirmato, et pulmonem afficiente; praesertim in strigosis, sanguineis quandoque redduntur fere sine tussi compacta sputa, eaque veluti velo quodam fuligineo sunt obtecta, ut primo aspectu ad atram bilem pertinere videantur; sed iidem aegri identidem reddunt similia sputa globosa, tecta fragmentis sanguineis, et verum cruorem obscuri coloris non spumosum varia quantitate, et fere sine tussi postea expuunt. A veneno nimirum ad pulmones allato, sive per ge-

nitas varices, aut sine iisdem cogitur sanguis in vasis haerere, et per stasim sanguis nigrorem acquirit, qui deinde ex ruptis venulis exit, aut ab iisdem exsudat. Eadem conditio sanguinis in minimis vasis haerentis, et qui nigredinem concipit, caussa est filorum nigrorum, quae in urinis quandoque visa sunt, et nigrae, viscidaeque cujusdam saniei, quam vesicantia dederunt *.

Palpebrae conniventes.

Palpebrae, praecipue autem sinistra solent connivere, neque facile eaedem attolli possunt in provecto morbo. Plura ex his phoenomenis, pro tempore mutabilia sunt, prout materia morbifica unam aut alteram partem infirmat.

Periodici morbi.

Periodicorum malorum plura exempla profert noster morbus. Primum agam de intermittentibus febribus, deinde quaedam innuam de aliis periodicis malis.

* Mulier quaedam reddidit per diuturnum tempus cum tussi sputa nigra, sed ex morbo convaluit: quando circa pectus, collum, et mentum apparuerunt pustulae intense rubrae, vesiculam superpositam habentes, sed quae postea nigrae evaserunt.

Miasma a sanguine susceptum bilem facile vitiat, eidemque se jungit, minusque perviam cutim, aut renes reperiens, generat facile febres intermittentes, idcirco post primum stadium febres intermittentes frequentes sunt; si hujusmodi materia in aliqua parte se se figat, cessat statim febris intermittens, reditura postquam resoluta materies iterum sanguini infusa fuerit. Ergo focus febrium intermittentium in ipso sanguine sedem suam habet, atque similis materiae morbificae positio, etiam caussa est plurium malorum periodicorum; existit enim in sanguine abscondita quaedam vis imperio solis, ac lunae verisimiliter subjecta, inducens sanguinis aestum quemdam, et commotionem, ex qua impetus ad varias partes assurgit, aut cutis conditio mutatur; sic nonnullos morbos videmus imperio potius solis subjacere, alios autem a lunae actione (quacumque ratione id fiat) revera regi; sic scabies, crusta lactea, psora, et cutis plenitudo in nostro morbo lunae phasibus respondent. Idem etiam observare licet in ophtalmia, et erisipelate, quorum utrumque nunc circa aequinoctium repetit, nunc singulis mensibus advenit, atque luna crescente crescit, decrescente minuitur, sed et maculae rubentes tum in gena, tum in dorso manus statis etiam tempo-

ribus redeunt. Haec phoenomena fortasse poterunt rationem dare recursus epilepsiae. Sed et aliae insunt corpori humano caussae, a quibus promanat periodus quorumdam malorum; quoddam enim tempus requiritur, ut materia accumuletur in dato loco, aut eadem possit cum ipso sanguine et lympha sensim densioribus factis coalescere ita, ut denique cum coaluerit ad locum aliquem impellatur, aut in aliquo loco detineatur.

Perniones.

Perniones in praesentiarum raro suppurant, quia sanguis potius in vasis venosis stasim subit, atque ejus cohaesio minor est. Fibrarum irritabilitas a peticulari veneno est diminuta, atque ex eadem caussa infirmata est actio arteriarum.

Piperatus sapor.

Sapor veluti piperatus in faucibus oriri videtur ex veneno mucum ipsum faucium corrumpente; similem etiam saporem praebet sudor. Eo tempore sapor piperatus advenit, atque si aeger sudet, et linguam ad lambendum sudorem exerat, eumdem etiam saporem in sudore percipit.

Prolapsus assumptorum.

Sensus potulentorum, et alimentorum tenuium aut mollium statim ex stomacho in abdomen, ut ajunt aegri, descendentium tribuendus est sphincteri, sive pyloro debiliori, et laxiori: ita etiam sphincter ani in provecto morbo, et sphincter vesicae, excrementa, atque urinam non valent retinere.

Pulsus debilis.

Conditio autem pulsus debilis in hoc morbo est repetenda, ut mihi videtur, ex statu nervorum, et ex cutis obturatione fere delente ejusdem actionem. Duo enim sunt maxima instrumenta, ut jam alias dictum est, quibus sanguinis circuitus sustinetur, quorum unum positum est in nervis stomachi, et intestinorum; alterum autem, et quidem summi momenti, in ipsa cutis actione *. Haec quidem veritas ab ipsa observatione evidentissime judicatur; et sane iis, quibus vita fere

* Magnum sane latere videtur naturae mysterium in extremo confluxu filamentorum nerveorum cum tela cellulari, atque fibra carnea, a quo ex mea opinione multum dependet vis illa, quae sustinet humorum circuitum, et vitam hominis regit.

omnis sublata est, stomacho et intestinis ad actionem excitatis, ut notissimum est, ad vitam revocantur: quod vero ad cutim pertinet, quemadmodum stimulus nervis cutis applicitus vehementissimam febrem parit, sicuti evenit in plerisque morbis exanthematicis, praecipue in scarlatina, et morbillis, per auctam a stimulo vim cutis allicientem; ita e contra deleta actione nervorum cutis, circuitus ita infirmatur, ut demum subsistat.

Porro non sine aliquo rationum momento suspicantur Physiologi quidam ad ignis cujusdam fortasse electrici modificationem pertinere substantiam illam tenuissimam, quae nervorum actionem regit; vis autem haec electrica certo per affrictum excitatur, et sustinetur. Quidni suspicari liceat ex affrictu, qui fit in minimis vasis cutis, ignem electricum atmosphaerae ad cutim ipsam allici, et absorberi? A quo absorpto nervorum, et vitae actio sustineatur?

Pulsus intermittens.

In hac infirmitate ex statu cutis saepe dependet pulsus intermittens. Per motum enim, maximeque per promotum sudorem disparet intermittentia. Primis autem mor-

bi diebus translato miasmate ad cutim, ibique haerente semper pulsus sunt parvi, inaequales, et intermittentes, licet febriles, sed adveniente sudore, et crescente febris intermittentia pulsus evanescit. Qui morbo chronico detinentur, hyeme pulsum habent intermittentem, non autem aestate, nisi magna adsit cutis obturatio.

Rubor disparens.

Miasma diuturno attritu diminuit globulorum cohaesionem, atque iisdem inhaerens ad extima cutis propellitur, atque propter propriam tenuitatem fugax est, et cito disparet. Non modo autem fugaci rubore interdum cutis tingitur, sed etiam oculi similiter rubent.

Rachitis nunc temporis minus frequens.

Caussa minoris frequentiae rachitidis repetenda ne erit a majori visciditate, quam mucus acquirit, et uberiori accumulatione terrae calcareae propter urinarum tenuitatem, quae satis constans in hoc morbo esse solet? Hae conditiones fortasse augent ossium firmitatem. Animadvertam autem etiam quod fibrae motrices, licet debiliores sint, non tamen

laxiores evadere, sed rigidiores, easdem ad quamdam contractilitatem urgeri a miliarium miasmate, quo fit, ut ad cutem urgeantur etiam vitiosa alterius naturae principia, neque remaneant in interioribus partibus, et speciatim in ossibus, sed potius ad cutem, et superficiem corporis impelli. Alia etiam caussa esse potest diminutae rachitidis, eaque deducenda ex debilitata per temporum diuturnitatem luis venereae virulentia. Verum ego quidem observo non ultra quam a quindecim, aut ad summum a viginti annis ex mea observatione sensim magis magisque diminuta fuisse in infantibus rachitidis exempla.

Sanguinis resolutio.

Sanguis suam cohaesionem denique amittit propter lympham vix reducem, decrescentem vim vitae, atque immediate diminutam sanguinis consistentiam ex actione ipsius miasmatis intra sanguinem retenti.

Sanguinis extracti praesentanea conditio.

Sanguis hisce temporibus extractus, si aeger hoc morbo laboret, atque morbus

jam protractus fuerit, non apparet spumosus, neque gelatina concreta, aut crusta inflammatoria obductus; concretus utique est, sed tenerae consistentiae, qui acu facillime scinditur, atque discissus, statim non parum seri dimittit. Neque etiam observatur coccineus, et seri expers ut olim eveniebat, et qui talis diu permanebat: ad hanc conditionem aliquantum accedit si multum praevaleat miliarium veneni copia. Plerumque obscure fuscus est, atque subtus nigrescens. Ex frigore repente suscepto, atque post neglectos sudores, aërisque frigidiusculi usuram, gelatinam aliquam etiam in superficie ostendit, ut dicitur rheumaticam, a lympha a frigore coacta, sed suppositus gelatinae sanguis obscurus, et solutus est. Raro etiam morbi pectoris crustam pleuriticam offerunt, nisi ab alia adjuncta caussa vehemens inflammatio producta fuerit in pulmone. Generatim autem, ut alias diximus, longe rarius, quam olim, nascitur rheumatica, aut inflammatoria morborum conditio. Qui ea omnia, quae circa naturam materiae morbificae, ejusque agendi rationem tradidimus, ob oculos habuerit, non difficile poterit hujus mutationis caussam intelligere. Diutina enim actione peticularum veneni lympha aliquo

modo resolvitur, globulique sanguinis minori vi cohaerent, atque in serum demum facessunt, sed interim horum elementorum aliqua inter se coagmentatio sustinetur ab actione veneni miliarium, qui aucta contractione vasorum continuo serum exprimit, atque nititur, quae alias citius diffluerent, elementa sanguinis continere. Quod autem ad morbos pectoris pertinet, primo quidem animadvertimus eos potius ad quamdam pulmonum plenitudinem, atque lentorem sanguinis in vasis venosis, quam ad inflammationem pertinere; sed insuper observamus vim irritabilitatis, atque vim nervorum a peticulari veneno infirmari, atque phlogisti particulas longe minori nexu cum sanguinis globulis vinctas esse, lympha solutiore reddita. Praeter autem pulsus conditionem, qui cum minori elatione sub digitis elongatur, persentitur, et comprimenti digito prompte cedit, et sanguinis extracti considerationem, ejusdem fluidiorem naturam ostendit quoque sanguis catameniorum, et ex naribus fluens, qui dilutus lintea statim trajicit, super ea crassamentum nullum relinquens. Haec autem omnia longe aliam ponunt conditionem ab illa, quae vere inflammationi phlogisticae favet. Inde fieri necessum est, ut longe minor

calor in pulmone accumuletur, a quo praesertim repeto seri illam phlogisticam concretionem, quae in morbis pulmonum inflammatoriis tam cito exoritur.

Scrophulae vulgaris disparitio.

Quaecumque extiterit caussa proxima illius materiae, quae in glandulis praesertim colli deposita, strumas, sive scrophulas facit, certum est scrophulam vulgarem saepius cum lymphae magna visciditate conjunctam esse, et quae resolvunt, fortiterque abstergunt, uti extractum cicutae, et aquam marinam utiliter adhiberi. Hisce positis cum constet actione illorum miasmatum, quae nostri morbi caussam proximam constituunt, denique lympham per speciem corruptionis resolvi, sanguinem autem tenuioris consistentiae reddi, atque identidem febres advenire varii generis, nonne conjicere licet horum actione mutari, atque in circuitum urgeri viscidam illam lympham, quae diu haerere solet in glandulis strumarum naturam adeptis, atque ita abrumpi earum curriculum, eamque conditionem in humoribus nasci, quae strumarum progressui se opponat?

Pedarthrocace scrophulis valde affinis ra-

rissima aegritudo nunc est, atque si tumores similes nascantur, ii quidem etiam ad tumores, ut vulgo dicitur, frigidos referuntur, lentissime, et male suppurant, sed periosteum non superant, neque ossa attingunt. Quae phoenomena nostram supra rachitidis raritatem conjecturam confirmant.

Sitis.

Propter visciditatem muci oesophagum obsidentis, et debilitatem nervorum sitis in hoc morbo non vexat.

Somnolentia.

Somnolentia pendet ne ex seri lentore in tela cellulari cerebri, et infirmata vi nervorum? Videtur etiam proficisci ex diminuto circuitu humorum per cutem, quod probat praesertim pulsuum conditio. Somnolentia dependet etiam ex bile sanguini infusa; haec versus meridiem solet redire, tunc autem urinae flavescentes sunt, brevi disparet, redit etiam interdum nocturnis horis: caeterum, qui in hunc morbum incidunt, nisi cum sanguine tenuiori vitiosus humor cerebrum afficiat vigilias excitans somnolenti esse consue-

verunt, sero expergiscuntur, et licet plura incommoda habeant, capiteque doleant, tamen bene dormiunt; post prandium et coenam facile in somnum incidunt, in morbo provecto somnolenti, obliviosi, et ad motum torpidi. Evanescente rubore circa collum pedis incommodam somnolentiam successisse visa est, eamque cessasse, restituto rubore. Qui etiam somnolentus maxime erat, si febris quiesceret, eadem redeunte, vigil erat.

Somnum consequentia.

Plura illa phoenomena, quae somnum consequuntur, significant a somno vires non refici, atque hujusce somni morbosi tempore vim etiam nervorum vitalium, et actionem cordis praecipue regentium insigniter debilitari: illi enim actioni, ex qua somnus fit, additur etiam compressio quaedam ex sanguinis lentore, et praecipue ex quadam distensione vasorum lymphaticorum cerebrum comprimentium. Quum igitur per somnum naturalem perspiratio adaugeatur, diducti pulsus, et ampliores reddantur, ex vi caussarum in hoc morbo agentium fit, ut perspiratio diminuatur arteriis brevius pulsantibus, atque debilius contentum liquidum pel-

lentibus. Hinc sudor somni tempore cessat, et aegri post somnum de frigoris sensu saepe conqueruntur. Quoniam autem in hoc morbo caput facile repletur, breviorque est via a corde ad caput, quam ab eodem ad pedes; post somnum facies tumet, et plenior est, et aegri quamdam capitis perturbationem, et gravedinem expergefacti accusant; consignant etiam post somnum tibias, et pedes perfrigeratos esse, licet in lecto sint, et pedibus bene opertis. Expergefacti iterum sudant, atque si mutata positione super lectum sedeant, caput exonerari sentiunt, atque calorem in pedibus renovari; immo illi, quibus adhuc valens natura est, sine ullo novi regiminis auxilio, tunc temporis pedibus, et tibiis sudant, veneno a capite ad inferiores partes translato.

Pulsus autem, qui parvus, debilis erat, et inaequalis, sensim aliquantum erigitur, atque citatior redditur. Praeter autem hanc debilitatem arteriarum ex diminuta vi nervorum fortasse etiam actio musculorum, atque vis ipsius animi nervorum actionem excitantis aliquam symbolam ad hunc effectum conferunt. Nihil certo efficacius est ad illam motus diminutionem, quam hic morbus affert diminuendam, et emendandam, quam musculorum validum exercitium.

Debilis eadem actio nervorum, et arteriarum, caussa est propter quam vitiosum miasma variarum partium muco inhaereat, atque corruptionem aliquam humoribus inferat, atque stomachus male concoquat. Hinc intelligitur, quare mucus faucium una cum saliva etiam post somnum vitiosus reddatur, atque os foeteat; cur somnus alimentorum concoctionem non promoveat, sed infirmet; cur oesophago, stomacho, et tracheae, cum mucus vitiosus inhaereat, expergefactis aegris tussis, aut vomituritio molestiam afferant, usquedum hujusmodi materia educta sit.

Cur stomachum, et intestina denique impetat materia morbifica.

Enteritis, gastritis, et alvi fluxus gravissima quarti stadii mala sunt, quae vitae finem imponunt: materia nimirum morbifica ad stomachum, et deinde intestina defertur propter cutis obturationem, ejus infirmatam, aut sublatam actionem, quae sanguinem ad peripheriam allicit, et propter numerum nervorum a variis locis huc confluentium, et quae vere malignum humorem vehunt. Est autem quidam inter hasce partes, et cutem talis consen-

sus, et reciproca quaedam mutua eterogenea corpora recipiendi ratio, propter quam a cute ad stomachum, et intestina, aut ab hisce partibus ad exteriores facillime transferantur.

Strigosi, et molles.

Strigosi, et difficile sudantes, et aëre sicco utentes, cuticulam habent firmiori muco adhaerentem, et duriorem, contrariam autem molles, et spongiosi, et in aëre humido viventes; inde fit, ut longe celerior sit morbi progressus in strigosis, quam in mollibus, et spongiosis aëris humidi usuram habentibus.

Sudatoria febris.

Sudatoriam febrem sustinet miliarium miasma, quod cogit membranas arteriarum citius contrahi, et contentum liquidum urgere per hiantia oscula vasorum exhalantium, dum a peticulari principio, cui saepe bilis juncta est, sanguis solutior redditur. Hujusmodi sudor vix vitiosam materiam eliminat; nam ea per reducentia vasa iterum in circuitum redit, atque inde nascitur vera sanguinis, et virium resolutio.

Tumores nascuntur in corpore musculorum, aut prope articulationes, qui lentissime suppurant, neque vere suppurant *spinam ventosam* referentes. Ad sanitatem denique perducti cicatricem ostendunt proxime quidem, sed non tamen periosteo adhaerentem, quae demonstrat membranam adiposam cutis portionem, musculumque subjectum consumpta regenerata non fuisse. Hujusmodi situs contrectatus semper dolet, etiam post plures annos.

Hujusmodi tumores observantur in iis, qui morbum haereditarium habent, atque pueris et adolescentibus adveniunt, atque originem suam debent accumulationi lymphae, quae una tenet materiam morbificam nostri morbi; vidi enim non modo hujusmodi aegros signa morbi latentis praeseferre pathognomonica, sed et progrediente aetate in morbum omni nota declaratum venisse.

Commemorandi etiam sunt tumores quidam minime rari in hoc morbo, qui pertinent ad bursas tendinum ab accumulato humore sensim distentas cum non exiguo dolore motum partis impediente. Frequentius in cubito apparent, et in genu, tum etiam prope malleolos. Hujusmodi tumo-

res non modo dolent, sed extus rubent, et mollitie, ac fluctuatione inducere facile possunt in opinionem tumoris, qui in suppuratum abierit. Verum secti, aut perforati non pus, sed lympham viscidam fundunt; nulla bona cicatrix consequitur, sed labra vulneris retracta tendinibus accrescunt cum perpetuo aegrorum dolore, et incommodo. Stimulantibus, et tonicis exasperantur, mitibus autem resolventibus, et emollientibus contenta materies solvitur, et tractu temporis tumor disparet, permanente tamen aliquo, sed tollerabili incommodo in quibusdam motibus, et post rudem partis contrectationem.

Addam me interdum vidisse hujusmodi tumorem in genu lateraliter subortum ex integro evanuisse per apparentem quemdam cum minutis pustulis ruborem in eodem loco cum subsequente deinde cuticulae desquammatione.

Vapor venenatus.

Apoplexiae, paralyses, torpores, aliique morbi interdum fugaces, atque celer disparitio morborum localium, probant venenum instar vaporis moveri, atque saepe pervadere telam cellularem nervo-

rum, atque resorptum a vasis sanguineis, etiam cito ad alias partes transvehi.

Varices.

Puto imminuta vi propellente, et arteriarum, et vasorum irritabilitate, sanguinem in venis colligi, atque ex spasmo telae cellularis venas veluti vinciri, et varices nasci; vidi enim in varicibus externis, aream venis tumidis comprehensam ad tactum dolere, et subrubere; quoniam autem sanguis in confirmato morbo gangraenosam naturam acquirit, ideo sanguis obscuri coloris est, atque ex magna parte solutus. Sicuti palpitatio ex arteriis ab hoc veneno constrictis oritur, ita varices ex venis simili ratione vinctis proficiscuntur.

Vesicantia.

Ex cutis diminuta sensibilitate, fortique cuticulae per viscidum mucum cum cutis adhaesione caussa patet, ex qua fit, ut applicita vesicantia parum doleant, vesicam non attollant, citoque exsiccentur etc.

Unguium fragilitas, et minus incrementum.

In latere praesertim sinistro ungues minus crescunt, tenuiores, et fragiliores sunt. Hujus autem mutationis caussa facile patebit iis, qui animadverterint in hac aegritudine nervorum actionem infirmari, atque decursum per telam cellulosam nervorum tenuis, et acris lymphae lentius fieri, et ab extremitatibus, sive involucris nervorum peculiari ratione continuatis unguium generationem proficisci.

CAPUT XIX.

OBSERVATIONES AD REMEDIORUM SUCCESSUM PERTINENTES.

Venae sectio saepe est instituenda, atque audacter, si stasim, aut inflammationem in pulmone morbus faciat; venae sectio utilis plerumque in hoc morbo extitit. Post exanthematum eruptionem non convenit, nisi gravia symptomata expostulent.

Venae sectio revellens profuit in ple-

thora capitis, quae facile in hoc morbo gignitur, et in convulsionibus a cerebro proficiscentibus, quae frequenter cum particulari capitis plethora sunt.

Hyrudines temporibus applicitae in plethora capitis, ex suppressa, et obturata cute perniciosae fuerunt.

Frictiones constantem in hoc morbo utilitatem attulerunt.

Cucurbitulae magni auxilii extiterunt cum humorum circuitum expediant, et materiam morbificam ad exteriora attrahant.

Fotus praestantes fuerunt in doloribus abdominis, periculosi in phlegmatia pedum; dimovetur enim venenum, et facile rapitur ad caput. Fotus, si exanthemata in brachio apparuerint, ea dispellunt, atque materia morbifica facile migrat ad caput.

Vesicantia prosunt tamquam resolventia, et etiam derivantia; si caput affectum sit, maxime tibiis applicita juvant, atque attrahunt materiam morbificam: facile autem exsiccantur propter visciditatem puris; nuchae applicita malignum humorem ad spinam, et brachia derivant, tetani speciem inferendo.

Vesicantia utilia sunt, si materies lymphatica in pulmonibus haereat, et hydropem pectoris minetur.

Vesicantia cum difficultate vesicam ex-

citant; ea enim vix attollitur, materiam paucam, et viscidam fundunt.

Vesicantia parum dolent, et cortex timeleae neque dolorem infert, neque rubefacit in provecto morbo.

Vesicantia applicita cito exsiccantur, sed tenuis, aequalis cuticula non regeneratur; superinducitur subrubens cum splendore arida cuticula tuberculosa, quae veluti crustosa evadit diu adhaerens, deinde nova subnascente cuticula separatur.

Quae jamdudum exsiccata erant epispastica interdum post dies quindecim, et ultra denuo inflammantur, atque uberiorem cum utilitate saniem fundunt per diutinum tempus; eorum medicatio maxime dolorifica est.

Vesicantia dolenti phlegmatiae, et suberysipelatosae parti applicita facile gangraenam inferunt. Non conveniunt in morbo ad tertium, et quartum stadium deducto, si sanguis jam pronus extiterit ad gangraenam. Opportuna sunt praesertim alliciendo venenum ad partes inferiores.

In odonthalgia, et aurium sussurro prosunt retro aures apposita, et nuchae applicita utilitatem habent si pars capillata capitis doleat. In dolore lateris sinistri ad cutim venenum attrahendo subjectum pulmonem liberant.

Fonticuli saepius non olentem materiam, et paucam suppeditant, viscidamque.

Fonticuli acidum olent, si miliarium miasma praevaleat; foetidum, et cadaverosum praevalente peticularum veneno.

Fonticuli ferro sunt excitandi, non caustico. Facile enim pars irritata inflammatur mala inflammatione, quae in gangraenam abit.

Fonticuli demum utiliores fuerunt in coxis, et tibiis, quam in brachiis.

Balnea generatim juvant cutim emolliendo, et aperiendo, sed animadvertendum est, quod dissolvunt materiam cuti inhaerentem, atque sanguini facile infundunt.

Perniciosa sunt, si pustulae minutae, tenues, fugaces adsint.

Balnea frigida nocent, balnea tepida alliciunt materiam exanthematicam ad exteriora; intermittenda autem sunt, quando exanthemata apparuerunt; si enim continuentur ex emollita cute, malignus humor non se figit, sed ultra properat, et resorbetur cum exanthematum disparitione. Major utilitas habetur ex balneis thermalibus, quae faciunt per sudorem foetentem dissipationem vitiosi humoris.

Balnea frigida motus spasmodicos, et tetanum inferunt.

Balnea non prosunt, si humores tenuitate peccaverint, atque exanthemata jam apparuerint.

Balnea, etiamsi exanthemata non protulerint, utilia extiterunt in cute a diutino tempore obturata, quam ad sudores disponunt, atque mala ex cute obturata provenientia dissipant. Utiles extiterunt aquae alkalinae sulphureae epotae.

Emetica caute adhibenda, ne venenum ad stomachum alliciatur.

A purgantibus venenum peticularum non educitur; inducitur autem facile inflammatio gangraenosa intestinorum. Nascuntur etiam contumacissimae phlegmatiae internae abdominis.

Purgantia non adjuverunt, nisi in bilis orgasmo, et ejusdem collectione, necnon ad mucum tubi intestinalis evertendum.

Per purgantia in febre purpurata miliari, quandoque fit, ut eruptio dispareat, sed venenum aut profundius in cute, aut in membrana cellulari subsidet, maxime diuturna mala daturum, atque resorptum iterum malum renovaturum.

Purgantia revocant venenum a cute, atque intra sanguinem adigunt, invitant ad oesophagum, ventriculum, et pulmones.

Certo purgantia in hoc morbo nocent.

In morbo acuto diarrhoeam symptomaticam feralem inferunt, atque pulsus debiles interdum reddunt. In morbo chronico alliciunt venenum ad intestinorum tunicam nerveam, et villosam, quin venenum evacuetur.

Pertractata purgantibus phlegmatia interna abdominis venter inflatur, tensione renitente, quae vix ad tactum dolet, eodemque tempore summo mane vomituritio; dolor etiam aliquis ad scrobiculum cordis oboritur.

Si morbus sub erysipelatis larva progrediatur, perniciosa purgantia sunt; quiescentia interdum aliqua subsequitur materia morbifica profundius intra cutem, aut membranam adiposam deducta, sed haec quiescentia deceptiva est, atque diuturnas, gravesque successiones post se trahit.

Purgantia lenia, et subducentia, praesertim salia amara prosunt in eo stadio morbi, in quo bilis coërcita est, aut commovetur; solet autem esse bilis atra, et viridis. Eadem praesidia viscidum intestinorum mucum abstergunt.

Acida vegetabilia opportuna sunt, si labefactata sit sanguinis cohaesio, sed tonica adjungenda.

In morbo chronico hydrophobiae spe-

ciem referente ex affectione oesophagi a maligno miasmate acidà nocuerunt, neque utilia sunt in eodem morbo acuto.

Virium debilitatem summam, atque sudores colliquativos cum pulsu debili, et non resistente coërcet utiliter elixir vitrioli a Mynsicht.

Attemperantia detrimenti sunt. Diutino usu syrupi antiscorbutici superatus est morbus chronicus.

Lac raro convenit in hemophtoe, et phtysi pituitosa, quae hunc morbum consequitur, neque in macilentia, quae provenit ex atonia cuidam spasmo conjuncta.

Serum lactis non profuit, et venenum ad interiores partes allicuit, atque praesertim ad abdomen, nisi bilis aestu cietur, et acrimonia sua exstimulet.

Urina humana mira praestitit in anorexia, et phthysi pituitosa diu, et singulo mane epota dosi unciarum octo *.

In ventriculi incommodis ex hoc veneno eas partes lacessente non nisi antispasmodica, et mitia nervina resolventia profue-

* Filia xxv. annorum, quae multiplices phoenomenorum successiones per plures annos passa est, eo redacta fuit, ut venter tympaniticus esset, nullumque cibum aut assumere, aut retinere posset; in universo corpore ex contrectatione dolebat, musculique rigidi persentiebantur; solo urinae per 40. dies epotae usu ad sufficientem valetudinem redacta est omnibus symptomatis, et anorexia primum, ac tympanitide sublatis. Haec autem omnia nonnisi per aliquot menses conticuerunt.

runt. Tonica corroborantia, purgantia, opiata perniciosa extiterunt.

Aqua frigida nocet iis praesertim, quibus stomachus, et intestina affecta sunt.

In morbo stomachi neque rheumatico, neque inflammatorio ab haerente muco producto aliquam utilitatem habuerunt rhabarbarum, et leve emeticum suspensa manu exhibitum: excussum fuit a stomacho venenum, sed propulsum ad intestina.

Aqua S. Genesii, quae alkalina sulphurea frigida est phlegmatias abdominis dissipavit.

Balneationes in aquis thermalibus sexaginta in homine paralytico materiam omnem non eduxerunt, licet magnam utilitatem attulerint.

Aquae sulphureae epotae emaciant, neque in ultimo stadio conveniunt.

Flores sulphuris, et aquae sulphureae frigidae epotae expedierunt vasa cutis, atque exanthemata protulerunt, sed morbum non finierunt; pulmones autem a veneno expediunt, atque in tussi convulsiva evidentem utilitatem habuerunt.

Scordium, sive solum, sive cum succo limonum multum valuit in leviori morbo.

Contrayerva, et serpentaria videntur infringere virus peticulare, sed nihil omnino possunt contra miliarium vene-

num; idem exemplum ostendit, nihil etiam posse ad veneni correctionem mercurium camphorae junctum.

Decoctio contrayervae, et serpentariae morbum mitigavit, sed non sustulit: prae reliquis vegetabilibus, in morbo chronico praestant chinae radix, salsaparilla, guajacum, et sassafras.

Absynthii sal fixum cum succo limonum, atque absynthii infusum cum succo limonum, aliquam vim habuerunt ad bilis viridis correctionem, sed non emendant materiam morbificam primariam.

Jusculum viperinum venenum in extremis partibus conquiescens submovet, in circuitum pellit, et sanguini infusum in sanguineis ad caput urget. In morbo antiquato, et muco cutis viscido reddito non potuit mucum resolvere, et expellere etiam per sex menses adhibitum.

Castoreum non profuit per duos menses assumtum cum obturata cutis esset. Jusculum viperinum si venenum sanguini inhaereat, evidenter nocet; impellit enim venenum ad caput.

Decoctum julorum pini diuturnum tumorem malleoli dolentem dissipavit epotum per quadraginta dies, atque reliquis remediis resistentem dispnoeam superavit.

Radix vincetoxici, si viscida pituita ve-

nenum retineatur, multum prodest, atque etiam sudores promovet: vetustam etiam surditatem, contumaces, vehementesque aurium strepitus sustulit, et leucophlegmatiam superavit.

Scilla visciditatem humorum, atque urinae suppressionem, aut parcitatem utique tollit, dummodo sanguis resistat, atque solum agatur de viscida pituita in pulmonibus haerente; sed morbus primarius semper superest.

Radix lupuli diu assumta vix alicujus extitit utilitatis; decocta dosi trium, et quatuor unciarum urinas movit sedimentum album deponentes; visciditatem igitur humorum aliquantisper emendavit, sed morbi progressum non prohibuit.

Decoctum corticis ulmi nullam evidentem utilitatem attulit.

Viola tricolor inutile, et inefficax medicamentum est, non quidem pugilli, sed manipuli majoris quantitate adhibitum.

Marrubium album cum melle utile est in sputo cruento, cujus caussa est dilatatio vasorum sanguineorum; idcirco sanguis coactus obscurus etiam solutus redditur. Vapor aquae tepentis ano susceptus sublevat illos, quibus alvus iners est ex quadam tetani, ut ita dicam, specie intestini recti; dum enim egerunt faeces,

et palpitatio, et constrictio praecordiorum, et sensus lipothymiae, immo etiam vera animi defectio pulsu minimo, et fere deficiente adveniunt.

Flores arnicae in paralysi non juverunt, stomachum exstimulant, et alvum movent cum aegrorum detrimento.

Arnicae radix nihil in hoc morbo valuit.

. Electricitas potius perniciosa extitit, quam utilis in paralysi.

Camphora rara tela contenta, et applicita ad jugulum sustulit faucium phlogosim a duobus mensibus persistentem, a qua multum difficilis deglutitio reddebatur.

In morbis capitis camphora non convenit; mercurius cum camphora, et therebintina utilitatem dedit in infarctu pulmonum, et malo ischiatico. In doloribus praesertim musculorum abdominis utilissima extitit calcitra camphoram tritam recipiens cum fotu superimposito.

Moschus, si adsit humorum tenuitas, inutilis est, neque morbum superat, neque materiam morbificam per vasa cutis expellit.

Semper enim soluta materia praeterfluit, et resorbetur. Observo summam saepe pulsuum imbecillitatem in fine hujusce aegritudinis suboriri.

Moschus videtur agere praesertim in vasa sanguinea.

Opium constanti observatione perniciosum est, neque vigilias tollit, majorem imo capitis perturbationem attulit.

In morbo pectoris ad expediendum a muco pulmonem opitulatur hypericum cum melle, et radix angelicae, quae evidenter proficua extitit in arthritica humorum constitutione, et pituitosa pulmonum congestione; similem habuit utilitatem radix imperatoriae.

Galanga, zinziber, pulvis ari compositus, enula campana utilitatem dederunt in anorexia, stomachique infirmato tono, atque alvi fluxu ex eadem caussa proveniente.

Ad lentorem solvendum convenit spiritus mindereri, et hoc remedium caecitatem superavit.

Terra foliata tartari resolvit infarctus, et phlegmatias abdominis.

Sublimatus corrosivus, et extractum cicutae potius detrimentum, quam utilitatem attulerunt.

Plures aegri in confirmato morbo quaesierunt remedium in hydrargyrosi, sed semper perniciosa extitit; pulsus factus est parvus, lentus, et debilis, urinaeque demum prodierunt obscurae, turbatae,

etiam cum ramentis sanguineis. Alicujus usus esse potest, si venenum sanguini non inhaereat. Hydrargyrosis dolores articulorum, et musculorum ab hac caussa provenientes intendit, non lenit.

Extractum napelli nocuit.

Extractum cicutae scorbuticam gangraenosam dissolutionem acceleravit.

Extractum hyosciami caput laedit, delirium auget, dolores non sedat, vigilias infert; interim non inutile est in asthmate, aut dispnoea convulsiva.

Curcurica, et chrocus menses promoverunt utiliter, et visciditatem lymphae correxerunt. Eadem ratione etiam profuit spiritus mindereri.

Diaphoretica praesertim aromatica, nisi soluta sit sanguinis compages, conveniunt.

Dum humores post longam stasim resolvuntur, perniciosa acria, et diaphoretica extiterunt.

Osmundae radix morbo superior non extitit, sed progressus distulit, ubi minus firma esset sanguinis cohaesio. Supra expectationem profuit in vetusta ophtalmia cum lippitudine, quae visus summam imbecillitatem attulerat.

Debilitas pulsationum, neque per corticem peruvianum, neque per martialia corrigitur, immo augetur.

Martialia per annum, et ultra adhibita nullius fuerunt emolumenti, immo damnosa in convulsionibus ex hoc morbo.

Cortex peruvianus non convenit, neque si adsint febres intermittentes, quas utique aliquando abigit, et comprimit. Sed venenum intra sanguinem, ut in cute, aut cum bile intra hepar figit, unde hepatis obstructio nascitur cum tensione conjuncta, et sine elevatione solum fotu, et resolventibus diaphoreticis superanda.

Cortex peruvianus multum nocet in febribus intermittentibus majorem habentibus continuitatem, sive morbum acutum inchoent, sive in progressu nascantur; si vehementes febres fuerint, cito fit metastasis ad pectus, aut caput inflammatione gangraenosa corripitur, quae celeriter progreditur.

Potus caffè opportunus non est, somnum abrumpit, et vigilias excitat, attamen anorexiam sublevat.

CAPUT XX.

CURATIO MORBI ACQUISITI.

Generalia quaedam.

Si specificum adesset, quod caussam proximam nostri morbi apud nos certo positam in miasmate peticularium, et miliarium simul peculiari ratione conjunctis emendaret, facilis esset hujusce morbi curatio. Talis autem medicina, quae haec miasmata emendet, nondum mihi cognita est. Miliarium miasma nullam omnino patitur ex meis observationibus immutationem; aliquam debilitationem recipit peticularum venenum ab antisepticis nonnullis medicamentis.

Constat observatione providam naturam hoc miasma, posteaquam aliquando retinuit, sponte sua urgere ad cutem, atque per eam non exire, nisi per repetitas expulsiones exanthematum, quae numerosiores sunt si major extiterit materiae morbificae quantitas, atque in corpore diutior persistentia antecesserit.

Omnis autem difficulter extrahitur, propterequod, aut in vasis minimis nonnullis remaneat, aut haereat in corpore mucoso sub cuticula, ex quo loco actio arteriarum, et vasorum difficillime potest venenum dispellere. Quamquam autem per exanthematum eruptionem morbus interdum non evellatur, per diutinum tamen tempus conquiescit perviis factis minimis vasis, et fluiditate humoribus restituta, imminutaque veneni copia, donec superstes materia lympham, et sanguinem sensim cogendo pristina mala reducat.

Miliarium miasma perraro potest, nisi simplicissimus morbus fuerit, atque bili ductili inhaeserit, per alvum moventi aremedia e corpore educi; peticularum venenum per sudores foetidos eliminari amat, neque vere * purgantibus medicamentis educitur.

Quando autem haec duo miasmata conjuncta sunt in unam actionem eodem tempore convenientia, difficilis omnino est

* Peticularum venenum solet sanguini inhaerere, atque gangraenosam in minimis vasis cutis resolutionem parere. Ut autem a vitalibus partibus longe illud removeat, natura urget ad cutim. Purgantium ope a sanguine non divellitur, neque per alvum evacuatur. Interdum autem evenit, ut haec materia subeat lymphatica vasa, et accedente praesertim bilis conjunctione, lympha post quam stasim egit corrumpatur; tunc autem corrupti humores resorpti a valente sanguine ad alvum pelluntur, et per eam viam exeunt.

judicatio; angustia enim vasorum extremorum a veneno miliarium illata, impedit quominus per hiantia vasa, et poros peticularum venenum evacuetur, atque ipsa actio peticularum, vim ultimorum vasorum infirmans, impedit convenientem pustularum miliarium eruptionem, et elationem.

Purgantia utique, interdum abstrahunt materiam illam morbificam, quam bilis secum vehit, sive illa jam in primis viis collecta existat, sive ab universo corpore ad cavum intestinorum urgeatur, sed quaedam etiam conditiones in motibus naturae vitiosa ad intestina urgentis requiruntur, ut revera utiles sint naturae actiones, aut ab ipsa productae, aut ab arte adjutae.

Verum ea degener materia, quae sanguini, aut lymphae inhaeret, praesertim si densitas humorum, aut phlogistica conditio extiterint, aut fracta sit pellentium vasorum vis, quantum quidem ego vidi purgantium ope nullo modo eliminatur. Ejus autem, quae in cute subsistat revocatio ad intestina, valde periculosa est; ea enim est oeconomiae animalis constitutio atque lex, ut quae omnino debent per cutim expungi, per intestina extrahi nequeant, et vicissim per poros cutis non exeant illae biliosae, aut corruptae parti-

culae, quarum via excretoria alvus est.

Non tantum igitur experientia duce, sed morbi indole humorum alterationibus genitis, atque naturae actionibus consideratis, video alvi viam raro opportunam esse ad partem miasmatis educendam, sed usquedum specificum remedium emendans repertum sit, in genere excolendos esse motus naturae, quae per viam cutis materiae morbificae evacuationem molitur, medicoque illud officium peculiariter incumbere observavi. Ut morbi compositionem intelligat, resistentias agenti naturae tollat, atque actionem naturae sive judicantis, sive conticescentiam eligentis convenienter sustineat, atque regat.

Qui vero ad ea omnia, quae exposita sunt, potissimum ad morbi diagnosim, materiae morbificae naturam, agendique rationem animum adverterit, jam plane intelliget quanta sit hujusce tractationis amplitudo, et quam maximus observationum numerus requiratur ad morbi hujusce curationem per omnes suas successiones, et compositiones definiendam.

Quamobrem cum videam mihi non illum adhuc observationum numerum suppetere, quo possim, prout vellem, satis extensam per omnem morbi ambitum in hac praesertim morborum a veteri norma

aberratione curandi rationem constituere, lectorem rogabo, ut iis utatur, si velit, in praesentiarum monitis, et animadversionibus, quas observatio me docuit.

In hisce autem regulis eumdem ordinem sequar, tradens quae sibi vindicet uniuscujusque stadii consideratio; sed anteaquam haec tradam, opportunum duco praemittere quasdam regulas deductas ex generali ordine successionum, judicatione, et conticescentia.

Regulae nonnullae.

Venenum, sive malignum miasma est nunquam ab exterioribus partibus dispellendum. Tumores etiam si qui adveniant ad furunculorum classem pertinentes sunt emollientibus, et maturantibus, si fieri potest, ad suppurationem ciendi, atque naturam ad exteriora vitiosam materiam urgentem nunquam turbare oportet, sed potius convenienter adjuvare.

Materia morbifica in artubus deposita, cautissime est resolvenda, ne rapta in circuitum nobiliores partes impetat.

Si miasma internum caput impetat, potius ad aures, aut ad medullam spinalem alliciendum est, atque summa sollertia, et circumspectione adhibenda ea

medicamenta sunt, aut irritamenta, quae illud possunt ad interiores nervos, qui cordi, et stomacho prospiciunt, allicere, atque e contra utilia sunt irritamenta retro aures, et nuchae, aut dorso applicita, quae, ut ita dicam, abstrahunt venenum ab interiori cerebro.

Quocumque loco conticescat malignum miasma, non est nisi summa circumspectione dimovendum; sed sive rerum non naturalium usu, sive etiam remediis alterantibus, curandum est, ut melior reddatur aegri positio, atque opportunior ad miasmatis eliminationem. Faciendum autem maxime est, ut si fieri possit res ad bonam, tepidamque aëris tempestatem differatur.

Judicatio per exanthematum eruptionem convenienter est sustinenda, et pro circumstantiarum ratione dirigenda, de qua peculiaris mentio habebitur in consideratione alterius stadii.

In morbo chronico neque scabies, neque psorae species, neque vari etc. curari debent externis remediis, sed actioni naturae derelinquendi; haemorrhagiae nunquam sunt cohibendae internis, externisque praesidiis, sed si opportunum fuerit revellenti venae sectione, atque aptis remediis mitigandae.

Nulla porro institui medicina debet ad leucorrhaeam aut haemorrhoidum fluxum supprimendum.

Nervi ab actione veneni infirmati, nervina resolventia, et attenuantia exigunt, quae tenuissima vasa lymphatica cerebri, et nervorum expediant, inter quae praestant pulveres antispasmodici, radix valerianae etc., cum additione contrayervae, et serpentariae virginianae. Bilis multiplici modo vitiatur, atque si sanguinem, et reliquos humores inquinaverit, utique curandum erit aptatis eccoproticis, ut ea per alvum ducatur; at si phlogisticam, sive erysipelatosam naturam adepta fuerit, a purgantibus remediis erit abstinendum; facile enim ad interiores partes attracta pectoris, stomachi, et intestinorum inflammationem inferet. Serum autem lactis, quod in vere putrida bilis conditione nullam affert utilitatem, hoc in casu utile erit. Bilis autem in primis viis collecta ad evacuationem urgeri poterit, refracta dosi, exhibitis abstergentibus, et saponaceis, alvumque cientibus medicamentis, cujusmodi sunt gummi ammoniacum, sales amari, rhabarbarum, pillulae quaedam, aloëm etiam recipientes, sed mitius agentes, atque si dolores adsint intestinorum paullo vehementiores, olea recenter

expressa ex seminibus lini, melonum, amygdalarum dulcium, etc. conveniunt. Clysteres autem modo emollientes, modo paullisper stimulantes, frequentis usus esse debent propter inertem actionem intestinorum, atque non modo excrementorum, sed etiam bilis degeneris accumulationem, quae fere semper in hoc morbo evenit. Bilem autem degenerem, quae peculiariter emendant, sunt fumaria, gentiana, cichoreum, centaurium minus etc. Bilem viridem notabiliter corrigere mihi visum est infusum absynthii cum succo limonum datum. Lympha coacta interdum expostulat venae sectionem, si praesertim phlogistica fuerit. Lympham coactam resolvunt fumaria, camaepytis, radix bardanae, veronica, sal ammoniacum, spiritus mindereri, serpentaria virginiana, radix seneka etc. Si porro lympha propter stasim corruptionem aliquam passa sit, quam facilius init si bili commixta sit, tunc nón modo permittendum est, ut natura corruptas, resorptas particulas per alvum eliminet, sed eodem tempore ea sunt praescribenda, quae diffluentem lympham, ut ita dicam, contineant, ex aliqua ratione emendent, cujusmodi sunt amara tonica acidis vegetabilibus juncta; laudantur autem scordium, fumaria, car-

duus benedictus etc., una adhibitis sale essentiali acetosellae, succo limonum, aut malorum aurantiorum.

Acetum autem prophilaticum, camphora, serpentaria, virginiana adhibenda sunt eo tempore, quo evacuatis per alvum corruptis humoribus, iterum natura sudores movet, atque eruptionem molitur. Camphora autem maxime utilis est. Si lympha vitiosa haereat in tela cellulari nervorum, tremorem, et subsultum tendinum inferet cum sopore, aut mentis aliqua alienatione.

Planum autem est etiam pro varietate locorum, in quibus lympha stasim aliquam patitur, sive in cerebro, sive in pulmonibus, sive in utero, sive in telae cellulosae variis locis, diversi generis resolventia, et discutientia magis opportuna esse, atque inter ea, quae proposita sunt, nunc quaedam, nunc alia esse praeferenda.

Mucum viscidum factum abstergunt, et resolvunt gentianae radix, trifolium fibrinum, enula campana, camaepytis, terra foliata tartari, sapones varii, gummi ammoniacum, aqua tedae, aqua therebyntinae, balsama naturalia, guajacum, salsaparilla, decoctum julorum pini, etc., et licet omnia recensita vim habeant mucum

abstergendi, quaedam autem magis accomodata sunt muco stomachi, et intestinorum, alia muco pulmonis, alia muco articulorum, et quae magis accommodata erunt seliget Medicus, atque ad statum aegri febrilem, aut non febrilem advertat.

Sanguinem denique densum redditum, neque facile per circuitum actum, atque plethoras peculiares, praesertim capitis gignentem nihil efficacius solvit venae sectione etiam pluries repetita. Post eam antiscorbutica saepe utilia sunt. Diluentia aliqua copia adhibenda, atque non raro ea diluentia in usum revocanda, quae eodem tempore demulcentia sint, sicuti dilutae emulsiones, ut facilius cum ipso sanguine, ut ita dicam, concrescant, nam aqua cito transfluit, nec commiscetur.

Quod si sanguis, qui primum extitit densus per diutinum affrictum jam resolvi incipiat, antiscorbuticis erunt acida adjungenda, atque ubi gangraenosa dissolutio jam immineat, decoctum contrayervae cum succo limonum proderit. Stimulantia aromatica etiam interdum in ea rerum conditione adhibenda eodem tempore sunt, ut incitata validius actio arteriarum impellat vitiosum principium in vasa minora pellucida, atque ea ratione sanguinis constitutio, atque firmitas conservetur.

Cum ratum, exploratumque sit plures notitias, quae pertinent sive ad humorum mutationes, sive ad actionem naturae, sive denique ad vim vitae metiendam, esse ex pulsus consideratione eruendas; interim monemus tyrones, semper esse utriusque carpi eodem tempore pulsum explorandum. Sinister pulsus, qui plerumque debilior est, gradum indicabit impressionis in nervos factae sinistri lateris; dexter autem, qui valens persistet, vim, atque actionem naturae ostendet, atque ex ejus statu, quid faciendum sit Medicus intelliget, qui absolute juxta ejus significationem se se regere debet.

Iis expositis, quae generatim pertinent ad eas mutationes, quas suscipiunt ex actione materiae morbificae praecipui humores nostri corporis, unde plura deinde mala proficiscuntur, nunc venio ad eas proponendas indicationes, quae pertinent ad singula stadia. Summatim autem tantum praecipuas quasdam, ut ita dicam, regulas tradidi, eo quod nonnulla suum aptiorem locum sint habitura in ea, quae sequetur tractationis parte, quae morbos plures speciatim expendet.

In primo stadio.

Saepius venae sectio requiritur, quamvis mitis omnino morbus videatur, sub cujus larva primum procedit. Hic morbus sua etiam praesidia requirit, sed Medicus naturae motum, et saepe efflorescentiam aliquam propellentis magna sollertia excolat, atque sustineat. Hoc opus si absolute perficiatur, et convenienti regimine postea per aliquod tempus perspirationem curet, aeger jam morbo liberatus erit; sed quando jam a diutino tempore retentum venenum est, neglectique sudores fuerunt, qui primis, iteratisque morbi recursibus advenerunt, sensim gignitur ea miasmatis accumulatio, atque humorum immutatio, propter quam aeger non quidem in benignum morbum, sed in febrem exanthematicam sui generis, sive purpuram miliarem deducitur, sive in alterum stadium.

In secundo stadio.

Peragenda in curatione secundi stadii spectant omnino ad curationem purpurae miliaris, sive morbi miliaris cum peticulis complicati, de qua complicationis curatione sat fuse actum est in tractatione de Miliarium origine etc. recusa; (*vide*

notas ad §. 281.) ea igitur nunc minime repetentur; sed iterum innuam pro ratione circumstantiarum, et mutationum, quae in ipso morbi curriculo eveniunt, diversa ratione se se gerere Medicum debere; alias nimirum amara abstergentia adhibenda sunt, alias acria et tonica aromatica in usum vocanda, alias unice in diluentium, et mitium attenuantium usu permanendum, atque etiam interdum subacida medicamenta adjungenda, quae diffluentem humorum compagem contineant, junctaeque bilis actionem cohibeant. Horum autem singulorum selectus definiri debet a circumstantiarum varietate.

Duo autem sunt in hac purpurae miliaris conditione praesertim observanda, quorum primum est facilis sanguinis a peticularum veneno resolutio, atque muci in textu mucoso existentis visciditas. Haec lymphaticorum vasorum in vesiculas diductionem, et amplificationem impedit. Illa autem facilem reddit transfluxum peticularis materiae, atque ejusdem resorptionem ex tela cellulari, in qua diffusa fuit.

Eae vero difficultates expostulant, ut prudens Medicus totus sit in paranda via ad eruptionem, atque suo tempore sustineat sanguinis cohaesionem, atque natu-

rae actionem tonicis, et corroborantibus.

Caeterum nonnisi per plures exanthematum repetitiones seminium morbi educi potest. Exinde fit, ut magna esse debeat aegri patientia, atque in Medico sagacitas, et agendi constantia.

Linteorum autem, et indusiorum mutationes circumspectae, et cautissimae esse debent, neque fieri, nisi magna urgente necessitate. In sudatoriis autem febribus, praesertim si faveat anni tempestas, animosus esse Medicus potest, immo observatum est aliquantum etiam neglectis sudoribus facilius pustulas firmatas, atque elatas fuisse, ut omittam fortibus hisce sudoribus vires naturae debilitari, atque aegros in lipothymiam incidere. Ea igitur occasione negligi, sed tamen semper caute sudores debent.

In tertio stadio.

Si natura exanthemata non protulerit, conatu tamen aliquo expulsionis facto, aut eadem bene non processerint, materia morbifica in cute remanebit plura mala generans, quae pertinent ad cutim obturatam, et stimulum materiae morbificae in cute haerentis. Primum igitur incumbet Medico cutim reserare, aut in membrana

adiposa conticescentem materiam persequi, aut ex iis locis, in quibus defixa est, dimovere, ut tandem iterum queat ex corpore eliminari. Haec autem omnia magnam sagacitatem in Medico requirunt, ut pedetentim difficile opus perficiat, neque huic operi se accingat sine praecedente conveniente aegri praeparatione, atque si morbus inducias det, curationem differat ad tepidam anni tempestatem, qua pacatius, et securius exanthematici morbi curriculum poterit obtineri.

Cutim reserant praesertim praeter frictiones balnea tepida sive aquae dulcis, sive aquarum thermalium, quae ita regenda sunt, ut materia morbifica non affatim, sed sensim sine sensu dimoveatur (fortis enim dimotio valde periculosa est) neque sudores balneationis tempore urgeantur, iis tamen excultis, qui balneationem subsequantur; quod si ex balneorum actione foras veniant exanthemata, balneorum usus est aliquandiu intermittendus. Nam translata ad extimam cutim materia morbifica per eorumdem continuationem iterum transfluit, et resorbetur. Peracto vero exanthematum, quae prodierunt curriculo, balneorum usum iterum suscipere oportet, ut nova eruptio obtineatur, et sic deinceps patienti opera

curanda est omnis quantum fieri potest materiae morbificae extractio.

Cum mucus autem cutaneus viscidus factus, sive bono exanthematum progressui, sive morbi eradicationi magnum obstaculum ponat, instituenda esse puto experimenta frictionum, quae peragantur cum illitu olei cujusdam, maxime penetrantis, quod efficaciter valeat compactum mucum resolvere. Haec autem experimenta commode, et utiliter in morbo maxime chronico instituenda erunt ad securam utilitatis probationem. Fortasse huic usui inservire poterunt sal volatile ammoniacale oleo quodam receptum, spiritus therebyntinae, petroleum, camphorae dissolutio, aliaque actuosa resolventia, et experimenta, quae nunc in mentem veniunt, et facienda consulimus, data opportunitate experiemur.

Praeter haec externa praesidia, pugnandum etiam internis medicamentis est; approbo etiam maxime tincturas radicis chinae, salsae parillae, et guajaci; atque fortasse magnam utilitatem dabunt actuosa acria, aromatica, vegetabilia, una cum abstergentibus, stipticisque remediis conjuncta, quorum actione minima vasa expediantur, debilitata fibra ad actionem cieatur, nervorum actio instauretur, et

sanguinis firmitas sustineatur. Multum autem commendo quantum quidem fieri poterit forte corporis exercitium. Ad curationem autem morborum particularium, atque illorum, qui universalitatem corporis tenent, primum Medicus videat, quodnam vitium in humoribus genitum eos morbos foveat, atque ex iis, quae dicta sunt convenientem medendi methodum deducat. Sed quoniam hae morbosae successiones peculiares quasdam animadversiones, atque cautelas requirunt, eae indicabuntur in curatione morborum particularium, et illorum, qui universalitatem corporis obsident.

In quarto stadio.

Quando ad quartum stadium ventum est, exigua omnino salutis spes superest, si praesertim jam a diutino tempore inceperit morbus, atque cute obturata* jam humores corruptionem subierint, et vis vitalis jam plurimum fuerit infirmata. Si

* Cutis obturatae indicia dabunt qualitas pulsus valde imbecilla, atque cutis mollities, et laevitas, maxime per universum corpus extensa, etiam visibilis in ipsa facie, quae licet macilentus aeger sit, et excolor, attamen lucida apparet, ac si esset oleo oblinita; summa enim viscìditas muci cuticulam, quae propter memoratam muci conditionem generata est firmula, et non extensilis, aequaliter ad se trahit, atque laevem reddit: de qua quidem cuticulae conditione jam alibi sermo factus est.

autem viscera labefactata sint, aut sanguis gangraenose resolvi incoeperit, aut pertinax alvi fluxus vires exhauriat, aut advenerit febris putrido-exanthematica, non amplius aegri servantur. Enteritis etiam, maximeque gastritis, et vesicae inflammatio, in quarto stadio exortae difficillimum morbum constituunt.

Ii, quibus vitae summum periculum imminet, ex magna humorum densitate, quae vasorum permeabilitatem tollit, atque speciatim pulmoni repleto occasionem praebet, curationem adhuc recipere possunt, si tempestive, et convenienter pertractentur, atque adhuc regat vis nervorum vitalium; ea interim, quae facienda erunt, si non ad valetudinem reddendam, saltem ad vitam hominis diu etiam protrahendam definire poterit Medicus ex cognito morbi curriculo, aegri constitutione, natura morbi universalis, et morborum localium, qui aegrotantem ad eum statum duxerunt.

CAPUT XXI.

CURATIO MORBORUM PARTICULARIUM.

MORBI CAPITIS, ET COLLI.

In morbis capitis generatim si argumenta plethorae adsint, ut planum est, sanguis est detrahendus, sed opportunum est si morbus non urgeat, ex haemorrhoidibus sanguinem educere; utilius est saphaenam pedis dextri secare, si sinistrum latus affectum sit. Post revellentes autem operationes, retro aures hirudines utiliter applicantur potiusquam temporibus. Cucurbitulam nuchae applicitam non profuisse observavi, eo quod sanguinem, et venenum ad superiores partes attrahat; utilissimae extiterunt cucurbitulae cum scarificatione dorso applicitae, et repetitae. Epispastica etiam tibiis sunt potius applicanda, aut coxis, quae maxime commendamus si fumi ad instar malignus humor ad caput raptus sit. Eodem jure lau-

dantur sinapismata plantis pedum apposita, sive in morbis soporosis, sive etiam in morbis convulsivis ex cerebro immediate profectis, si morbus similem causam agnoscat.

Generatim autem monemus data per venae sectionem majori circuitus libertate, aut torpida fibrarum actione per stimulantia excitata, a provida natura febrem excitari; eam sudores secum ferre cum subsequentibus demum exanthematibus, quae morbi judicationem praebent; sic observavi apoplexiam, paralysim, morbos convulsivos, atrocem caephalalgiam, maniam, melancholiam, aliosque graves capitis morbos fuisse resolutos, et superatos; Medicus igitur providae naturae motus sustinebit, aut etiam adjuvabit, sed primum saepissime ea instituenda curatio est, qua impacti humores resolvantur, et in circuitum agantur.

In morbis capitis, praesertim iis, qui bilem etiam pro caussa agnoscunt, dummodo bilis erysipelatosae naturae non fuerit, purgantia locum aliquem habere possunt: sed illorum administratio motus naturae sudorem moventis non abrumpat. Clysterum autem familiaris usus esse poterit.

Expedit etiam prout caussa posita est

in sanguinis densitate, aut lymphae lentore, aut simplici stimulo nervorum, multiplicis generis medicamenta adhibere, quae minime persequemur, ne hujusce tractationis aequos limites transgrediamur. Unice enim mihi propono ea indicare, quae peculiariter ad nostrum morbum pertinere animadverti.

Vertiginem, quae primum nascitur ex quodam lentore lymphae, sustulit saepissime radix valerianae, cui adjuncta fuit contrayerva.

Caephalalgia periodica superanda est potius amaris resolventibus, atque sudorem cientibus praeter venae sectiones, et frequentem clysterum usum. Bilis etiam si adsit degener in primis viis ducenda convenienter per alvum est, et salibus amaris, aut mixtura riveriana emendanda. Cortex autem peruvianus aut cito nocuit, aut contumacissimas, et graves post se traxit morborum successiones.

Vomitus interdum gravem caephalalgiam sequitur, qui tollendus est aut venae sectione, aut epispastico nuchae applicito, qui materiam morbificam potius deducat ad spinalem medullam, et revocet ab iis nervis cerebralibus, qui stoma-

cho prospiciunt. In tali rerum conditione grave detrimentum emeticum inferet.

Hemicrania naturae actioni est derelinquenda, sed tamen si frequenter repetat, et capitis plethoram afferat, sanguis moderate tamen detrahendus est.

Convulsionum caussa, quae in hoc morbo contingunt, sollerter est cognoscenda iis consideratis, quae in diagnosi dicta sunt.

Sat frequenter in hisce convulsionibus sanguis est detrahendus, cum saepe ex plethora capitis proficiscantur. In foeminis hysteriam quandoque mentiuntur, atque interim venae sectionem expostulant. Si sanguis tenuitate peccaverit, nervina, atque antispasmodica pleraque potius nocebunt; utilia erunt demulcentia, incrassantia, et quae sanguinis, et humorum cohaesionem firmant.

Cortex peruvianus, et martialia generatim in hisce convulsionibus non prosunt, sed nocent, interim et ea experiri licebit in humorum tenuitate, et fibrarum laxitate. Si pulsus contractus sit, et aliqualem duritiem, aut pulsationum brevitatem cum tensione conjunctam habuerit, haec remedia non erunt opportuna.

In hisce morbis chronicis, qui diuturnas

exanthematicas febres male judicatas consequuntur, nihil utilius est rusticatione, caeli mutatione, balneis, frictionibus, et corporis exercitio una cum victu analeptico, et convenienti ad vires instaurandas, et genitam, aut suscitatam discrasiam humorum emendandam.

In ea *Catalepsi*, quam ipse vidi, nihil omnino faciendum esse observavi, atque nullo adhibito remedio accessiones breviores extitisse.

Epilepsia evidenter producta ab hoc miasmate elusit plura remedia, sed usque nunc ille non se se obtulit aegrotantium numerus, quo ex mea voluntate quaedam definire possim. Adnotavi advenientem psorae speciem diutissimam etiam ad annos quietem dedisse in homine quinquagenario, sed ea disparente morbum rediisse, qui paroxismis continuo frequentioribus factis, interdum delirans, quandoque desipiens, semper famelicus, apoplexia convulsiva peremptus est.

Puer, qui identidem modo delirans, et furiosus, modo epilepticus erat, sine ullo rationis sensu: alias in minoribus paroxismis cum alicujus perceptionis indiciis melius se habebat apparentibus in bra-

chiis, et super dorsum manus maculis, et pustulis pruriginosis.

Juvenis annorum triginta primo vere, et autumno epilepsia corripiebatur, a vino fere abstinens, atque assumens singulo mane bolum ex radice valerianae, pulvere foliorum aurantiorum, et stercore pavonis, per annum, et ultra nullas accessiones passus est. Remedium neglexit, atque rediit morbus. Iterum autem usus per annos duos, et ultra quotidie eodem remedio, non amplius in epilepsiam incidit, sed ortus est podagricus dolor repetens autumno, et hyeme, qui podagricus dolor omnino respondet podagrae, quam hujusce morbi seminium sustinet.

Juvenis triginta quinque annorum admodum frequenter epilepticus, liberatus est per setaceum in collo institutum, et gestatum per annos duos, sed post plurium annorum intervallum, primùm in affectionem hypocondriacam incidit, et recurrenti levi podagrae dolore afficiebatur, torpidus, melancholicus, obliviosus, somnolentus postea factus est, etiam apoplexia fugaci correptus, atque excitata febri ex purpura miliari lente admodum curriculum suum peragente extremum diem obiit.

Ego quidem crediderim non modo fon-

ticulorum ope, sed potenter incidentium usu, quem balnea, et saponacea sudorifera consequantur hujusmodi mali curationem fortasse esse instituendam.

Diagnosis *Vesaniae* nonnullarum specierum, quae huic morbo propria sunt, quaedam etiam continet ad curationem pertinentia. Tristibus, et melancholicis sanguis densus esse solet, atque a venaesectione, et balneis sublevantur.

Tristitiam, et melancholiam fortissimam profligavit jusculum viperinum. Facta est autem eruptio purpurae miliaris, quae mentem, et hilaritatem restituit.

Mania, quae per tres menses cum magna phoenomenorum varietate, et inconstantia hominem vexaverat, superata est per febres intermittentes, quae cum multis sudoribus purpurae miliaris exanthemata attulerunt.

Ex mea opinione per fonticulos in tibiis excitatos aperienda via est, per quam natura partem vitiosi humoris eliminet. Tepido balneo emollienda cutis est; nam in hanc calamitatem veniunt ii praesertim, quibus densa cutis est. Si rapta bilis ad caput fuerit, purgantibus, et clysteribus allicienda est ad abdomen.

Purgantia etiam validiora poterunt for-

tasse ex medulla cerebri materiam morbificam per nervos ad inferiores partes deducere, atque ut ita dicam a meditullio cerebri abstrahere, sed morbi superatio non habebitur, nisi provida natura eamdem vitiosam materiam per cutim expellat. Incumbet igitur Medico, ut diligens non sinat elabi occasionem aut sustinendi, aut adjuvandi utiles naturae judicationem mollientis actiones.

Odontalgia opii actionem eludit, et si vehemens fuerit, sola venae sectione mitigatur. Utile etiam non raro extitit epispasticum retro aurem applicitum, aut brachio ejusdem lateris. Hoc symptoma morbi frequenter solet repetere etiam in primo stadio, finemque tantummodo habet per erumpentes in habitu corporis pustulas.

Apoplexiae, quae succurrant, eruantur ex iis, quae generatim dicta sunt de curatione morborum capitis, atque iis, quae de occasione tradita sunt in diagnosi apoplexiae. Iterum autem animadvertemus expedite sanguinem secta vena esse educendum; sed tamen excitata evidentiori febri, cum magna circumspectione in sanguinis eductione procedendum esse, ut naturae vires ad morbi judicationem supersint.

Paralysis haec non superatur, nisi dimoto veneno, et exanthematum eruptione, quae cum suum periculum etiam afferat, si agatur de morbo inveterato, et homine sene, strigoso, cujus cutis nullam bene cessurae eruptionis fiduciam alat, satius erit remediis non attingere, sed venenum, quod eo in loco conticescit oblivisci.

Ad resolutionem paralytica pars non est spirituosis inungenda, neque stimulantibus irritanda. Saepe expedit pluries etiam sanguinem mittere, paralyticam partem fovere fotu carminativo, et resolvente; intus uti mitibus, aut fortioribus resolventibus pro aegrorum conditione: sudores, quos natura movet sustinere aptis remediis diaphoreticis, et tempestive jam materia dimota est epispastica tibiis applicare; nihil autem efficacius est in paralysi chronica prae balneis aquarum thermalium moderate calidis, atque etiam circumspecte adhibitis, aut identidem intermissis, ne materies haerens affatim commoveatur, quae tunc nisi per universam sanguinis viam circumferatur, facile caput petit, et convulsiones, aut apoplexiam convulsivam infert.

Confirmata *Lippitudo*, aut *Ophtalmia*, neque repellentia remedia permittit, neque eradicative curanda est. Diutissima enim, atque ab aliis morbis liberans est haec operatio naturae, per quam pars materiae morbificae evacuatur, atque pars alia veluti conticescit; neque mirum est tantam esse posse ejus utilitatem, cum per tot nervos ad oculos confluentes vitiosa materia ex cerebri medulla ad oculum venire possit, atque in uberi tela cellulosa, et adiposa, quae in fundo orbitae est, possit conticescere. Et sane ii, quibus a diutino tempore perduravit lippitudo, si ea cesset, apoplexia facile corripiuntur. Pluries observavi post disparentem rapide oculorum ruborem in syncopem convulsivam cum magno vitae periculo aegros incidisse.

Morbos autem oculorum sublevarunt radix valerianae, pulvis de gutteta, aselli, spiritus mindereri, aliaque aptata resolventia remedia: si tempestas faveat, juvenilis, et firma sit adhuc aegri constitutio, mitibus eccoproticis deduci materia ophtalmiae poterit, atque oculus aqua aliqua mitissima elui; verum succedentibus balneis, decoctione salsae parillae, et forti exercitio curandum erit, ut deductus ab oculo, et in circuitum actus vitiosus

humor per viam cutis evacuetur. Peculiaris etiam aegri constitutio, atque discrasia, sua etiam opportuna remedia expostulabit, sed iterum, atque iterum admonemus ne Medicus imprudenter remediis opthalmiam antiquatam persequatur, quam hoc miasma sustineat, praesertim si morbum exanthematicum non bene judicatum fuerit subsecuta; atque iteratae observationis testimonio morbus iste exanthemata occasione febris acutae prolaturus, sine ulla crisi interdum cessavit, atque diutissime conticuit per lippitudinem, et oculorum ruborem.

Quamvis *Scorbuti* phoenomena in hoc morbo evenientia, non ad verum scorbutum, sed ad peculiarem scorbuticam oris affectionem pertineant, tamen et ab iis etiam remediis, quae scorbuto auxiliantur utilitatem recipit. Consimilis enim est humorum degeneratio, atque a capite ad gingivas, et inferiores partes alterati humoris defluxus fit, qui non est adstringentibus, et tonicis repellendus. Ad oris foetorem corrigendum sufficiunt mitia abstergentia, et demulcentia; intus autem dentur antiscorbutica, acidis vegetalibus non omissis: juscula ranarum, et testudinis etiam opportuna sunt. Victus autem

sit ex vegetabilibus quantum stomachus feret, qui saepe erit mitibus corroborantibus erigendus. Correcto vitio scorbutico, convenientibus remediis morbum persequi oportet, atque curandum est, ut per frictiones, fotus plantis pedum appositos, etiam vesicantium applicationem venenum. saltem ad inferiores partes alliciatur; quod si natura sudores moveat, ii excolendi sunt. Caetera, juxta ea quae tradita sunt ad morbi universalis curationem instituantur. Si adstringentibus os colluatur, partim venenum, aut cerebrum afficiet, aut ad inferiores partes descendet afferens raucedinem, aut terribilem phthysim trachealem, quae caput laringis erodetur, atque si ad oesophagum venenum delabatur, lentam pariet hydrophobiae speciem.

Hydrophobia, quae symptomatica est ex retrocessione exanthematum, quae jam apparuerunt orta, superatur iis remediis, quae iterum exanthemata propellere poterunt. Essentialis autem, quae internum morbum capitis consequitur, sicut expositum in diagnosi est, valde difficilis curatu est. Jusculum viperinum profuit sudoribus viscidis, foetidis excitatis, atque urinis album sedimentum demittentibus.

Tempestive et vena secanda est, et balneorum usu cutis aperienda, eaque reserata venenum a cerebro est dispellendum, et ad cutim urgendum.

Morbi pectoris.

Phthysis, quae hoc miasma pro caussa agnoscit, facile per oris halitum communicatur aut proxime haustum, aut per cubiculum disseminatum, neque diflatum. Renovandus igitur aër est in cubiculis horum aegrotantium, atque etiam convenienti suffitu emendandus, neque qui assidet multum prope debet os admovere. Si per destillationem a cerebro ad pectus morbus veniat, epispasticum collo applicandum, fonticulus etiam in brachio excitandus, aut timeleae cortice curanda est vitiosi humoris eductio in incipiente tussi. Cane pejus, et angue fugienda opiata sunt, quae tussim facile curabilem, aut febrim catharralem, si saepius repetantur, ad phthysim certo passu deducunt. Haec phthysis in lacte medicinam non habet, quamvis interdum si muriatica una extiterit lymphae destillatio, aliquem usum habere possit. Curanda omnino est perspiratio, atque exanthematum expulsio, atque si tepidum fuerit anni tempus, ne-

que febris aliqua evidens extiterit, aeger forti exercitio utatur, usque ad sudorem, bibatque tincturam radicis chinae, aut salsae parillae cum victu convenienti, vino abstineat; si aliqua respirandi difficultas, atque conditio pulsus obtruncati, et inaequalis ostendat jam aliquam speciem congestionis in pulmone fieri, adhiberi poterit aqua therebyntinae, aut decoctum julorum pini, etc. Lecto autem aegri committantur cum tenui, et convenienti diaeta, aptatoque usu remediorum diaphoreticorum: si pulsus cum recurrentibus sudoribus sollicitati fiant monentes naturae actum ad exanthemata propellenda, haec judicatio convenienter directa, et sustentata, tussim finiet, atque valetudinem restituet, sed cito nimis aeger lectum non deserat, facile enim recrudescit morbus pejor evasurus.

Dispnoeae multiplices caussas advertat Medicus ejusdem curationem suscepturus. In genere convenit venae sectio tempestive instituta, et repetita, aptis attenuantibus resolvendi sunt humores impacti, sudoresque excolendi suo tempore sunt, ut exanthematum eruptio, quae judicationem morbi facere debet obtineatur. Epispastica tibiis praesertim applicita ju-

vant; purgantia opportuna non sunt. Si citra inflammationem, vel infarctum vasorum sanguineorum ex lympha tenaci in minimis vasis haerente, et lotii suppressionem inferente, fortis dispnoea vexat, scilla poterit adhiberi, sed in ejus usu diu persistendum non est. In morbo chronico flores sulphuris, crocus orientalis, gummi benzoinum, balsamum copaibas, balsamum peruvianum etc. utilia extiterunt. Vapor autem malignus pulmones impetens, aut phlegmatia pedum disparens, omni praesidiorum genere ad inferiores partes alliciendus, et attrahendus est.

In *Hemophtoes* curatione admonemus praeter venae sectiones, quas instituet alacrius, aut parcius Medicus juxta aegri positionem, neque opiata, neque adstringentia esse adhibenda. Duae autem interdum plane contrariae judicationes se offerre possunt; si nimirum ex sanguine crasso in distentis venis congesto morbus nascatur, convenit decoctio marubii albi cum melle, aut alterius generis resolvens medicamentum. Quod si ex diutino veneni cum sanguine confrictu, veluti resolutus sanguis sit, juvat potius adhibere mucilaginosa, et incrassantia, uti sunt gummi

arabicum, gelatina ex radice salep, aliaque hujus generis. Cum autem aliquando viderim haemorrhagiam vehementissimam cum febre conjunctam, prompte sublatam fuisse per sudores afferentes exanthemata prolicitos per mitia diaphoretica, hoc remedii genus in opportunitate certe negligendus non est.

Vidi enim per exanthemata haemorrhagiam sublatam, iis neglectis haemorrhagiam rediisse, quae iterum cessavit denuo redeuntibus exanthematibus.

Dolor lateris saepe morbi conticescentiam facit, neque debet remediis tunc temporis dispelli, atque illum ea curatione persequi oportet, quae ad morbum universalem pertinet, atque saepius expectanda est calida anni tempestas. Si paullo vehementer excruciet, mitissimo adipe locus affectus illiniatur, atque fotus non humidus, sed, ut ajunt, siccus admoveatur. Dolor iste ab externo pectore ad internum pergit, peripneumoniam, aut pleuritidis speciem allaturus. Ea occasione valde juvat cucurbitulam cum scarificatione admovere, aut cerotum epispasticum; quandoque dolor intensus redditur cum febre, atque specialis cujusdam pleuritidis morbum infert: venae sectio prompte

est repetenda, et si materia morbifica ex loco dimota diffundatur, atque in circuitum agatur, per epispastica ad tibias attrahendum venenum est. Sudores autem si adveniant, ii sunt diligenter servandi, atque etiam promovendi. Quid vero faciendum sit, si vapor malignus dolorem faciat, jam patet ex iis, quae superius dicta sunt.

Palpitationi utique succurrendum est, nervinis et cardiacis, sed ea, quae ultra fieri debent docebit caussae palpitationem facientis consideratio.

Morbi abdominis.

Anorexiam plures caussae gignere queunt; quae ex muco viscido adhaerente internae faciei stomachi nascitur, abstergentia, amara, aromatica desiderat, inter quae praestant roob baccarum juniperi, conserva enulae campanae, pulvis ari compositus, calamus aromaticus, galanga, aliaque opportuna ad mucum abstergendum, et solvendum, et stomachi tonum erigendum. Rarissime fit locus miti emetico, ut radici ipechacuanae; allicitur enim venenum ad stomachi nervos. Aegri potum caffè exoptant, a quo sublevantur.

In illa, quae provenit ex magna, ut ita dicam, nervorum atonia, essentiae, et tincturae spirituosae, aromaticae, carminativae locum suum habent. Aeger quidam, qui continuo animo deficiebat, ut mors jam immineret, sibi dari jussit cyathum spiritus vini, qui lipothymiam sustulit, febrim excitavit cum sudoribus, atque advenientibus exanthematis liberatus est: in hisce casibus utilitas etiam evidens percepta est ex aqua menthae piperitae affatim epota.

Anorexia autem, quam sustinent vitiosa alimentorum recrementa, aut bilis ex duodeno in stomachum veniens, potest quandoque requirere mite emeticum. Tutiorem autem rem esse putamus saponaceis abstergentibus purgantibus uti, ut gummi ammoniaco, et speciatim salibus amaris catharticis, aut etiam tinctura rhabarbari tartarizata, sed bene advertendum est nulla extare phlogosis cujusdam conjunctae argumenta.

Magna omnino frequentia vexat *Dolor stomachi* in hac aegritudine quocumque in stadio aeger sit. Qui porro animadvertet ad multiplicem stomachi cum aliis partibus consensum, atque nervea plura filamenta, quae ex variis locis ad stoma-

chum veniunt, jam ratum, exploratumque habebit ex solo nervorum consensu facile posse stomachum dolere; sed et lympha ipsa, sanguis, et bilis multiplici ratione laedere stomachum possunt, atque dolori stomachi occasionem praebere. Haec omnia explanata sunt in diagnosi, neque singulorum curationem ex proposito tradam, summas tantum quasdam cautelas indicaturus.

Dolor stomachi, qui immediate ex cerebro venit, aut sanguine detracto, aut epispastico applicito juxta naturam caussae morbi curandus erit. Venae sectio summum praesidium constituit in dolore stomachi ex phlogistica lymphae conditione, aut stomachi inflammatione. Eae tamen servandae vires sunt, quibus natura adhuc ad materiae impactae dimotionem, et resolutionem sufficiat.

Si dolor stomachi per consensum ex cute veniat, aut materia peticularis resorpta in stomachum irruat, detrahendus sanguis non est, sed ad cutem propriis auxiliis revocanda est vitiosa materia.

Emetica neque in dolore stomachi, neque fere in vomitu, qui nostris aegris adveniat praescribenda sunt; facile enim fortes convulsiones emeticum exhibitum sequuntur, quae cito lethales evadere pos-

sunt. Opiata, acida, aqua frigida nocent in dolore stomachi quacumque ex caussa veniat; lenia resolventia, carminativa, et diaphoretica sunt in usum vocanda, uti aqua florum tiliae, aqua papaveris rhaeados, aqua cardui benedicti etc., neque acria aromatica adhiberi debent. Prompte enim a quocumque actuoso, et stimulante remedio morbus adaugetur.

Convenit etiam vaporem malignum, qui ad stomachum delatus fuerit, ad inferiores partes allicere fotu, frictionibus, epispasticis, etc.

Quando autem excoriatus stomachus est, lenissimis demulcentibus unice utendum est, quibus, natura sudores movente, adjungenda sunt mitia diaphoretica.

Difficilis, et periculosae tractationis sunt morbi ventriculi, in quo graviter errare Medicus poterit, nisi diligentissime adverterit non modo ad ea, quae praecesserunt, sed praesertim ad pulsuum, et pulsationis conditionem, quae varia * est

* Character pulsui stomacico assignatus, atque pulsum veluti triangularem exhibens spectat ad dolorem stomachi productum ex haerente materia rheumatica, quae eodem tempore acrimonia stimulet. Non est triangularis quem facit materia podagrica; omnino dissimilis est quem infert materia peticularis, atque sic porro multiplex est varie affecto stomacho pulsuum, et pulsationis conditio. Similiter etiam differt pulsuum organicorum natura pro varietate caussae, et circumstantiarum.

pro diversitate caussae proximae, ex qua dolet stomachus. De his autem pulsuum, et pulsationum differentiis si Deus vitam dabit ex proposito disseremus.

Colica abdominis nunc ad intestina, nunc ad musculos abdominis pertinet; saepius dextera * abdominis pars dolere solet si musculi praesertim abdominis affecti sint, atque hic dolor cum tensione minus cautos in opinionem ducit hepatis ** affecti, quod tamen omni laesione carebit.

In colica musculorum abdominis, cito, et animose sanguis mittendus est; saponacea resolventia, diaphoretica sunt imperanda; sudores, qui deinde veniunt, sunt diligenter servandi.

Plerique autem morbi ex iis, quibus stomachus patet, et intestinis adveniunt. Praeter clysteres emollientes, juvat generatim venae sectio. Verum si in quarto stadio vitiosus humor ad hasce partes re-

* Disquirentes lateris sinistri phoenomena observavimus sinistro latere affecto, in dextero praesertim apparere erysipelata, tumores, maculas, etc., eo quod nimirum dexterae partis arteriae valentiores sint, atque idcirco in dextero latere potius accumulare materiam morbificam queant.

** Hac opinione ducti, ut obstructiones, quae certo non adsunt tollant, et gummi ammoniacum, et decoctum catholicum imperant cum malo prorsus eventu.

pulsus, stasim, ex qua metuenda sit gangraenae successio, inferat, jam non amplius mittendus sanguis est, nisi vis pulsus propellens * se sustineat cum pulsatione non sine aliquo nisu in fine suo obtruncata. At curandum est, si fieri potest, ut impactum venenum resolvatur, et in circuitum agatur resolventibus remediis.

Caeterum alia adhibenda remedia partim ex iis, quae dicta sunt de dolore stomachi, partim ex iis, quae referentur de alvi fluxu erunt eruenda.

In colica abdominis utilem observavi culcitram continentem fragmenta camphorae abdomini impositam, cum superpositis spongia decoctione quadam imbuta, et bene expressa, aut calido pulmento ex farina mays.

In *Tympanitidis* periculo, si lympha viscida phlogistica impacta fuerit, summum remedium est venae sectio. Expedit etiam abdomen fovere fotu carminativo. Culcitra ex camphora utilis est. Post peractas venae sectiones, proficua est hirudinum ad haemorrhoides applicatio. Pur-

* Actio propellens arteriae, valentem adhuc vim vitae significat; ea autem cognoscitur ex depressione anterioris portionis arcus pulsationis. Obtruncata autem pulsatio, quae pertinet ad ultimum punctum sistolis, notat resistentiam vasorum impactorum, et permanentiam sensibilitatis.

gantia sunt perniciosa, periculosum est oleum ex seminibus lini. Alvus autem ducatur oleo mitissimo, sicut est oleum ex seminibus melonum expressum. Clysteres ex decoctione baccarum lauri, et juniperi, aut decoctione roris marini, si jam distentum abdomen minus doleat, conveniunt ad motum peristalticum instaurandum. Omni autem diligentia curet Medicus, dimota aliquantum materia, sudores movere, et sustinere, sine quorum auxilio nulla salus erit.

Quacumque ratione *Alvi fluxum* attulerit hoc venenum, aut ex cute rediens, aut per telam cellulosam nervorum, aut ab arteriis ipsis ad tubum intestinalem delatum alvi fluxum afferat, non est purgantibus alliciendum ad intestina; nam eadem facile inferunt inflammationem intestinorum. Si haec non eveniat, materiam in abdomine figent, atque disponent ad futuram deinde phlogosim gangraenosam sive intestinorum, sive mesenterii, sive vesicae urinariae, praesertim si morbo jam provecto, et sub flammae discurrentis imagine venenum abdomen variis locis pervaserit. Quod si biliosa materies corrupta, aut ex toto corpore ad intestina confluat, aut bilis

ipsa in cistide fellea praesertim collecta, viam sibi quaerat, tunc oportebit clysteribus, aut mitibus subducentibus, subsistente alvo, alvi fluxum promovere; sed biliosis corruptis particulis eliminatis, consuevit natura sudores urgere, ut ad cutim impellat materiae morbificae particulas, quae per intestina evacuari non possunt. Hunc actum naturae eruptionem molientis Medicus convenienter sustinebit; dira enim metastasis gangraenosa, aut subsistentia mala materiae morbificae in intestinis sequitur usum remediorum purgantium eo tempore adhibitorum. Iterum autem hac de re consulantur regulae, quae traditae suo loco sunt ad bilem a veneno vitiatam pertinentes.

Ischuria, cujus diagnosis data est in disquisitione phoenomenorum, observatur saepius in tertio, et quarto stadio, eaque consequitur obturatam cutim, atque ultimo fere transmissam materiam morbificam ad vesicae membranas, atque praesertim ad internam. Stimulantia cujusvis generis, diuretica, et purgantia infensa sunt. Interdum vena secanda, ut materia facilius dimoveatur, aut saltem haemorrhoidibus hirudines applicandae. Mitissima demulcentia adhibeantur, tum per os,

cum per anum immissis clysteribus. Opiata procul omnino sint; mitia resolventia, et diaphoretica in usum veniant. Summopere enim curandum est mitibus hujusce generis remediis resolventibus, ut materiæ dimoveatur, atque sudor obtineatur. Diu solet vexare hic morbus, qui per vesicae, et proximarum partium veluti clandestinam gangraenam post recurrentes aliquos horrores, aut rigores convulsificos fere inopinato hominem interimit.



CAPUT XXII.

CURATIO MORBORUM CORPORIS UNIVERSALITATEM, AUT HABITUM OCCUPANTIUM.



Cum febris *INTERMITTENS* utilem naturae actionem in hoc morbo constituat, per quam venenum a sanguine separatur, et materia morbifica reserata cute per eam exit, jam evidens est non esse febrem intermittentem comprimendam usu corti-

cis peruviani, sed amara attenuantia, atque etiam diaphoretica, et quae cutim aperiunt, esse adhibenda; si vero argumenta adsint viscidae lymphae cuti impactae, apta remedia sunt adjungenda, prout rerum circumstantiae expostulabunt. Cortex autem peruvianus non modo nocet compressa utili naturae actione, verum etiam humores cogendo, et cutim obturando. Saepius vena secanda est: si cacochymia adsit in primis viis, emetica, aut etiam mitia purgantia erunt adhibenda; at nullo primarum viarum inquinamento existente, solis clysteribus, non purgantibus alvus cienda est.

Si ex rheumatica, ut ajunt, lymphae conditione, atque cutis obturatione materia febrilis, quae per cutis viam exitum sibi quaerit, obstaculum reperiat, facile impetit cerebrum, soporem, aut delirium afferens, atque mentitur febrem perniciosam: ea si cortice peruviano pertractetur, cito de hominis vita actum est; tunc autem primo cucurbitulis repetitis, et cum scarificatione, cutis liberanda est, deinde vena secanda, atque postea amara aromatica resolventia, et stimulantia antisceptica sunt praescribenda, uti scordium, carduus benedictus, chamaedris, chamaemelum, serpentaria virginiana, sal am-

moniacum, zedoaria, camphora, etc., et ea, quae aptiora videbuntur seliget Medicus; purgantibus vero abstineat.

Quod si agatur de vera febri perniciosa, cum praesentia tamen signorum, quae adjunctam hanc luem indicant, continenda quidem, aut comprimenda erit hujusmodi febris, sed non erit diu, constanterque corticis usus protrahendus.

Quartana febris adhuc majori jure se opponit corticis peruviani usui. Curet diligenter, et efficaciter medicus, ut viscidam lympham resolvat, et cutim aperiat. Paroxismum quartanae, quae tempore frigoris propter pectoris constrictionem in proximum vitae periculum aegrotantem conjiciebat, sustuli fotu, et frictione universi corporis, et dato sale ammoniaco in aquae simplicis potione.

Hac etiam super re plura ad febres intermittentes pertinentia, quae tradita sunt tract. de Miliarium etc. §. 113, et 227, utiles animadversiones, et regulas suppeditabunt.

Erysipelas non est externo remedio dispellendum, neque etiam fotu resolvendum; expedit enim, ut materia ibi defixa remaneat, et aliquam subeat per pustulas rubras, et squammulas partialem judica-

tionem. Purgantia materiam intus attrahunt, quae deinde, aut in cute, aut in membrana adiposa subsistit, aut intra sanguinem resorbetur, atque ad tertium stadium aegrum deducit. Caeterum ante erysipelatis apparitionem, si argumenta adsint redundantis vitiosae bilis, utique purgantia poterunt adhiberi ante erysipelatis adventum ad imminuendam bilis degeneris, quae ad sanguinem fertur, copiam. Generatim diluentia, et mitia resolventia opportuna sunt; quandoque etiam mitia diaphoretica sunt adhibenda, ut motus naturae excolantur, et sanguis si pulsus conditio id exigat mittendus est, ut majori libertate actiones suas exerere natura possit. Quod si erysipelas non larvam, sed morbum essentialem, et complicatum constituat, pluries utique mitti sanguis potest, sed parcius detrahendus sanguis est, quam in simplici erysipelate non complicato. Vires enim servandae sunt, ut natura malignum erysipelas in externo corporis habitu sustinere possit. Cito enim subsidet, atque phlogosim cerebro infert. Vidi in hoc erysipelate, quod plerumque caput impetit, cuticulam parum in sinistro latere secedere; citius autem, atque longe plenius in dextero. Purgantia in hoc erysipelate perniciosa sunt,

attamen clysteribus alvus moveatur.

Haemorrhagia non est adstringentibus, aut repercutientibus coërcenda; nam saepe aliquam partialem judicationem morbi facit. Si tamen vehementia sua periculum afferat, revellente venae sectione succurrendum, atque obsistendum est mitibus attemperantibus, et demulcentibus. Si cum febre veniat attendendum est diligenter ad pulsuum conditionem, atque urinarum naturam, aut mutationem; cum enim hoc symptoma proficiscatur ex materia morbifica, quae sanguini inhaerens, eum in loco aliquo accumulavit; depletis per haemorrhagiam vasis solliciti quandoque pulsus redduntur, atque sudores adveniunt: eos autem Medicus non dispellat, immo hujusmodi haemorrhagiae etiam vehementes, datis sudoriferis opportunis remediis, quae venenum dimoveant, atque urgeant ad cutim, ex integro cessant, morbusque convenienter superatur. Pluries vidi hac ratione quievisse cum bono eventu haemorrhagiam ex utero, naribus, renibus, et pulmonibus, cum e contra per attemperantia, et adstringentia haemorrhagia vehemens persisteret cum malo eventu; neque alia ratione pertractandus est alvi fluxus cruentus ab

eadem caussa productus; clysteres demulcentes, ut ex solutione gummi arabici, aliisque similibus mucilaginosis rebus sunt injiciendi, atque sudores, quos natura sua sponte movere solet, sunt sustinendi. Quae demum haemorrhagia in quarto stadio advenit, et sanguinis resolutionem consequitur, remedia solet eludere: ea tamen deducenda sunt ex incrassantibus, et acidis vegetabilibus, neque ad acida mineralia transeundum est, quae subito, et vehementer pulmonem constringunt.

Circa curationem *Rheumatismi*, *Arthritidis*, et *Podagrae* pauca omnino habeo adjicienda iis, quae in diagnosi continentur, et tradita sunt in tractatione de Miliarium etc. §. 220. Iterum autem monemus rheumatismum brachii, et malum ischiaticum caute dispelli debere, atque ejus curationem ad tepidam anni tempestatem transferendam esse, quae praeter balneorum usum, per aptata remedia erit instituenda. Si dolor vehementer urgeat, vena tundenda est iteratis vicibus, et cucurbitulae etiam dolenti parti poterunt admoveri ad venenum foras extrahendum. Quod autem ad podagram pertinet, aut confirmatam arthritidem, valde anceps,

et periculosa res est eradicativam curationem suscipere, sed suae sorti potius relinquendus aeger est, ita tamen, ut palliativa remedia urgentibus circumstantiis accommodentur.

Pleraque illorum, quae pertinent ad curationem *Phlegmatiae*, jam deduci commode possunt ex diligenti ejus tradita descriptione, et variorum effectuum consideratione. Plegmatia haberi potest tamquam metastasis, atque jactus, aut persistentia materiae morbificae in tela cellulosa, in qua varia diuturnitate temporis conquiescit, sed interdum eo crescit hujusmodi accumulatio, ut verum morbum constituat. In primo igitur casu plurima circumspectione conticescens materia est dimovenda, praesertim si agatur de homine, qui virilitatem superaverit, atque senium fuerit assecutus; ea utique facienda remedia intus sunt universalia, quae valeant vim vitae sustinere, et materiam morbificam extenuare. Iis autem fortius erit incumbendum, si phlegmatia majus in dies capiat incrementum, ut validior natura portionem humoris per viam perspirationis eliminare possit. Fonticulus etiam infra genu, aut in coxa tumentis partis excitandus, ut refluens materia

morbosa e corpore exeat, neque ad sanguinem reducatur.

Si agatur de homine aut juvene, aut in virili aetate constituto, commodo, calidoque anni tempore curandum erit, ut pars tumens sudet, atque foras in ea parte veniant exanthemata, quod utiliter fit per continuatam foliorum sambuci fermentatorum applicationem. Ea autem occasione consuevit natura febrim movere, ut per viam cutis evacuet eam materiam, quae resorpta est, et in circuitum acta. Hanc autem naturae actionem Medicus convenienti regimine, et opportunis remediis adjuvabit ad veram salutem recuperandam. Quo vero major est corporis phlegmatia correpti pars, (nisi ea ex represso universali exanthemate profecta fuerit), eo difficilior est morbi superatio. Salus vero nulla sperari poterit, si agatur de homine sene, aut viribus fracto, cujus sanguis cohaesionem amiserit morbo jam ad quartum stadium deducto. Aut enim crescente phlegmatia, eaque ad pectus deveniente interibit, aut corruptis humoribus excitabitur lethalis febris putrido-exanthematica. In hac phlegmatia generatim inutilia, et interdum perniciosa diuretica medicamenta sunt, atque cito valentiora hominem necant accelerando

sanguinis dissolutionem gangraenosam. Unice proficua sunt remedia sudorifera, et quae vim habent eodem tempore antisepticam, uti sunt carduus benedictus, scordium, absynthium alpinum, serpentaria virginiana, radix angelicae, vincetoxici, aliaque hujus generis, quorum, quae opportuniora videbuntur, in usum eliget Medicus, si aliqua adhuc servandi hominis spes supersit.

Quod ad *Perniones* attinet, monemus eos esse naturae committendos, neque cito sanandos, aut resolvendos. Habeo enim pro metastasi, et conticescentia vitiosi humoris ibi collecti, et cujus aliqua evacuatio fit per eorumdem exulcerationem.

CAPUT XXIII.

CURATIO MORBI HAEREDITARII.

Morbus haereditarius, si ea consideretur hominis positio, qui detentus sit morbo explicito universali, aut morbo quodam locali, non aliam requirit medendi rationem ab illa, quae tradita est in curatione morbi acquisiti. Verum spectata ea hominis conditione, in qua tantum apparent latentis fomitis signa pathognomonica, plura quidem peragenda sunt, quae possint morbi explicationem diutissime, atque ad seros etiam annos distrahere, et diversorum, quae advenire queunt mala, mitiorem indolem facere. Duo autem haec curatio complectitur, quorum primum, et praecipuum quidem in convenienti rerum non naturalium usu consistit; alterum autem pertinet ad opportunam etiam, temporumque circumstantiis accommodatam remediorum administra-

tionem. Quae ad regimen diaeteticum, ut ajunt, pertinent, primum expendam.

Aër probatur, qui neque siccus, et valde perflatus est, neque mollis, et humidus, sed majorem habet aequabilitatem. Caelum autem, quod calidum sit, frigido est praeferendum.

In cibum eligantur potius alimenta ex vegetabili, quam ex animali regno deprompta, ita tamen, ut carnes tenerae, piscesque fluviatiles non ablegentur.

Si stomachus fert, aqua, non vinum potui detur; semper autem aqua vinum dilutum bibatur, atque homo abstineat a fortioribus, atque austeris vini speciebus. Puero autem, neque vinum, neque carnium cibus concedatur. Nihil autem infensius est spirituosis, neque laudamus vina generosa, quae praebent Europae australioris colles.

Ea omnia, quae vigilias accersere possunt, studiose vitanda sunt, neque valde debet homo somno indulgere, atque ille utilior somnus erit, qui corporis defatigationem, cutisque convenientem apertionem consequetur. Ergo pueri, et adolescentes somnum non excolant pigritiae indulgentes.

Cum nihil magis perniciosum sit vita sedentaria, et nihil e contra utilius corporis exercitio, sine cujus auxilio non

possit morbus jam declaratus, et chronicus superari, nunquam satis commendabo, ut pro singulorum aetate omnes homines corpus motu, atque variis laboribus exerceant, atque adnotavi juvenes, qui jam aliqua incommoda ad hanc calamitatem referenda in pueritia, et adolescentia passi fuerant, bonam valetudinem tamdiu duxisse, quamdiu venatione, aliisque motibus corpus exercuerunt; ambulatio praeferenda est aequitationi, atque aequitatio sectioni in rheda. Videns autem eam esse salutis hominum conditionem, ut nihil opportunius, et utilius sit corporis exercitio, non possum non maxime dolere otiosam vitam, quam plures homines ducunt. Lusus enim varii ad gimnasticam artem pertinentes, quibus adolescentes, et juvenes ad salutem, atque inde etiam ad virtutem firmabantur, nunc fere ex integro desueverunt. Foeminarum autem non paucae mollitiem excolunt, atquè ab omni ambulatione, quae olim apud omnem personarum coetum tum intra, tum extra urbem adeo familiaris erat, nunc abstinent, atque rhedae commodum cupiunt, et sibi curant despicientes eas, quae novitatum osores, sed bonas veteres consuetudines acriter servantes pedestrem ambulationem instituunt.

Quantum animi pathemata conferant ad valetudinem infirmandam, nemo ignorat, sed mihi etiam videtur gravium pathematum, quibus urbani praesertim homines conflictantur, magnam caussam residere in moribus, vivendique ratione adeo insigniter hisce temporibus permutatis. Indicabo nunc, quibus remediis utendum sit in hac haereditaria aegritudine, ne error aliquis committatur, praesertim in eorum malorum tractatione, quae a latente labe producuntur.

Crusta lactea medicinam nullam expostulat, sed actioni naturae concedenda est, atque purgantia infantibus non sunt ex levi caussa exhibenda, ne devia crusta lactea reddatur, falso, ut saepius contingit, vermium timore eadem consulente. Motibus enim spasmodicis * ex latitante hoc veneno, crustaque lactea non apparente proficiscentibus vexantur infantes, qui saepe vermibus adscribuntur, atque tutius curantur pulvere aliquo antispasmodico, atque purgantibus exasperantur; iis prodest etiam tinctura radicis chinae, quae propulsionem crustae lacteae adju-

* Utique infantes ex lacte vitioso, aut non bene concocto, facile in motus spasmodicos incidunt, quibus auxiliantur absorbentes pulveres, atque usus mitis eccoprotici.

vat. Nostris temporibus laudata est viola tricolor, sive jacea, quae per urinas crassamentum album urget, sed observationes exopto, et expecto, ex quibus constet dispulsa hac ratione crusta lactea, non alia graviora mala in pueritia deinceps fuisse subsecuta.

Dolores intestinorum, quibus infantes ex hac caussa obnoxii sunt, descripsimus. Si evidenter pendent a stimulo nervorum cerebralium, et spinalium, circumspectus Medicus sit in usu remediorum purgantium, atque ad mitissimos clysteres confugiat. Fotus sive sicci, sive humidi utiles sunt; juvat etiam spinalem medullam oleo lumbricorum terrestrium, alioque consimili cum confricatione illinire, atque extra paroxismum aeger diu assumat pulverem ex radice valerianae, aliumve pulverem antispasmodicum, utaturque convenienti anni tempestate balneis, atque tinctura radicis chinae, aut salsae parillae. Quod si dolores graves, atque frequentes recurrant vitae periculum inferentes, ad setaceum in collo erit deveniendum.

Ophtalmia, et lippitudo non debent repellentibus curari, mitissima tepida simplici, aut demulcenti aqua oculus abluatur. Setaceum in usum veniat, contumaci morbo existente alvus leniter identidem

cieatur, atque in antiscorbuticis, et seri lactis usu persistendum erit cum eo victus regimine, quod in hoc morbo laudatum est.

Quod vero pertinet ad visionis phoenomena haemorrhagiam, et musculorum in facie varias contorsiones, et quibus remediis occurrendum sit, jam docent ea, quae suo loco tradita sunt.

In scarlatinae curatione curandum maxime est, ut facta tempestive venae sectione, mitium diaphoreticorum usu, et convenienti regimine eruptio sustentetur, atque patienter sub linteis desquammatio expectetur.

Gonorrhaea falsa, et quidam rubor praeputii cum viscidi, foetidique sudoris excretione non aliam, quam mitissimorum emollientium applicationem expostulat; paucis diebus ea dissipatur. Testium autem tumor, qui quemdam aestum, atque impetum sanguinis venenum retinentis, atque in testiculum irruentis designat, curatur repetita venae sectione, et diluentium, et attemperantium adhibitione. Haec autem mala cum adveniunt, jam monent balneorum usum, atque Medici sollertiam excitare debent ad illud regimen, quod opportunum est.

Qui vero hanc labem in corpore gerunt,

summa vigilantia forti calceamento pedes ab humido, et frigore protegant, ut eorum sudorem alliciant, atque vestibus etiam curent perspirationis libertatem, neque roboris majoris acquirendi spe ducti frigida balnea familiaria faciant, a quorum usu malum exitum quandoque in adolescentibus observavi; adeo enim cutis obturata est, ut neque aestate sudent, atque interim adveniente morbo exanthematico servari non potuerunt.

Multiplicis generis exanthemata chronica, ut impetigines, vari in fronte, gutta rosacea, etc., quae his aegris adveniunt, neque exsiccantibus repellenda sunt, neque fotibus discutienda. Etiam pernionum curatio naturae opus esse debet. Utile est eos exulcerari, atque materiam fundere, sicuti suo loco jam propositum est.

Rubor momentaneus in facie apparens si vehemens fuerit, venae sectionem expostulat, atque Medici diligentiam excitat ad illud regimen, eaque medicamenta quae ex cognita natura morbi, aegrique constitutione convenientia erunt. Caeterum magna pars medicinae tunc potissimum in usu rerum non naturalium, fortique corporis exercitio tunc temporis erit adhuc collocanda. Monemus autem urinas lixiviales, et quae facile corrumpuntur, non

esse ullo remediorum genere cohibendas tamquam morbum, sed veluti signum existentis veneni, utilemque temporariam aliquam judicationem considerandas esse.



CAPUT XXIV.

CURATIO MORBI COMPLICATI CUM VARIOLIS, MORBILLIS, ETC.



Quae habui hujusce complicationis exempla mihi ostenderunt parce venam secandam esse, attemperantia non esse adhibenda, sed amaris resolventibus, saponaceis insistendum, uti ptisanae cardui benedicti, scordii, etc.; atque interdum demissa pulsus conditio incipiente jam suppuratione expostulavit zedoariae, et serpentariae virginianae usum ad vires erigendas. Victus paullo plenior esse debet, alvi fluxus si adveniat, decocto cornu cervi erit continendus; nonnisi sero permittendum aegris est, ut supra lectum sedeant, atque ab iis requirendum, ut

patienter crustarum decidentiam expectent.

Non modo fauces, sed et tracheam, atque pulmones fortiter solet impetere *MORBILLOSA MATERIA* antequam erumpat, facileque etiam quae jam in cute apparuit ad internas partes revertitur; difficile servantur ii, quibus ad oesophagum venenum se convertit, atque intestina ferit: in hydrophobiam, atque furorem tunc aegri conjiciuntur, atque excoriationes intestinorum, quae mala conticescunt si foras morbilli iterum veniant. Pluries repetentes has vicissitudines vidi. Ii, quibus alvus constanter fluida redditur, mortem non effugiunt. Vena iterate secanda est, mitibus diaphoreticis insistendum, convenienter operimentis tegendus aeger est. Nullo remedio alvus cieatur, clysteribus ex lacte, aut emollienti decoctione dolores intestinorum nata occasione leniantur. Morbillos, qui disparuerant, et dolores atroces intestinorum, atque hydrophobiae speciem intulerant, balneo tepido ad cutem iterum revocavi. Caeterum desquammatio lente procedit, atque multa patientia retinendi aegri in lecto sunt, ne morbi reliquiae aut ad pectus, aut ad oculos se conferant.

Periculosissima, et diutissima aegritudo est *Ignis sacri* cum hoc veneno complicatio. Ex minimo errore ignis sacer disparet, atque pulmones tanta violentia impetit, ut dimidiae horae spatio in maximum discrimen aeger conjiciatur periturus ex vehementi dispnoea convulsiva. Epispastica tibiis applicita utilia extiterunt, uti etiam venae sectio tempestive instituta; attemperantia nocuerunt, sed mitia diaphoretica constanter profuerunt, uti roob sambuci, decoctum florum tiliae, et florum papaveris, rhaeados, etc. Fotus etiam plantis pedum appliciti, atque frequenter repetiti utilitatem dederunt.

Periculosa aegritudo non est *Varicella*, sed tamen ea etiam mitia resolventia, et diapnoica expostulat, atque aegrotantis patientiam in lecto excolendo, quae si non habeatur, contumax tussis, anorexia, atque diuturna virium imbecillitas consequuntur.

Scarlatina si puerum, aut adolescentem aggrediatur, in quo existat hujusce calamitatis seminium, terribilis morbus est, atque eo gravior, quo major extitit morbi progressus, atque potentius textum mucosum vitiavit. Cum enim ad rete sub

cuticula positum pervenire scarlatinae miasma debeat, atque cuticulam a cute separare ad bonum morbi exitum, jam ratio patet maximi periculi, quod affert haec cutis immutatio. Lymphae etiam, sanguinisque major densitas, minor vasorum permeabilitas, minorque arteriarum vis totidem caussae sunt, quae completae eruptionis, atque boni curriculi difficultatem constituunt. Et sane anno proxime elapso scarlatina, quae apud nos pluribus locis epidemica extitit, magnam cladem pueris, et adolescentibus intulit.

Varia esse debet curandi methodus pro aegrorum differentia, et morbi, qui saepius haereditarius est statu, et additione caussae alterius, uti rheumaticae, ut ajunt lymphae conditionis. In genere dicimus majorem, quam in simplici scarlatina sanguinis copiam esse educendam, et sanguinis mittendi quantitas est metienda ex statu dexteri pulsus, neque pulsus tensio, aut durities, quae raro adest movere Medicum debet ad venae sectionem instituendam, sed ex brevitate pulsus, minus arcuata ejus pulsatione, et quadam defluentis sanguinis resistentia praesertim decernenda. Saepe dolores abdominis inter initia vexant, et alvus fluit utroque miasmate intestina primum impetente.

Caveat Medicus ne ad purgantia confugiat; nihil enim pejus est alvi fluxu. Satagat Medicus sustinere naturae actionem ad cutem mitibus diaphoreticis, uti infusio florum sambuci, papaveris rhaeados, cardui benedicti, aliisque similibus. Perspirationem curet convenienti usu operimentorum, neque permittat indusiorum mutationem. Fotus plantis pedum appliciti utiles: sic etiam proficuus esse potest usus eorumdem abdomini applicitorum, sed nunquam humida lintea brachiis apponat; quidquid enim allicit ad caput, periculosum est; succedit facilis capitis plethora, et haemorrhagia, quae nullius est emolumenti; tibiae utique in raptu veneni ad caput calidis, humidisque linteis bene expressis involvi poterunt. Epispastica vix locum habere possunt, valdeque perniciosa sunt nuchae applicita, et brachiis. Si urinae non profluant, non sunt urgendae diureticis, atque si urinae fuscae evadant, ad mitia subacida attemperantia, et quae mitissimum gluten suppeditent, uti sunt decoctum album Sydenhamii, et aqua de spermate ranarum, erit confugiendum. Valentia autem diuretica, uti tinctura aurea antimonii, millepedes, et praesertim scilla inutilia sunt ad urinam ciendam, et evidenter damnosa

urgendo sanguinis gangraenam. Tibias, quae peculiari phlegmatia, sive ut ajunt emphysemate intumescunt lanceola aperire, aut scarificare periculosum est propter facilem gangraenam; vix aliquid autem seri educitur propter ejusdem visciditatem, tunc oportet involvere tibias linteis, quae imbuta sint forti decoctione carminativa resolvente, et facere, ut per eorum fotuum assiduitatem pars sudet, et vitiosus humor ad tibias confluat; quod si hujusmodi phlegmatia, aut emphysema jam declinante morbo advenerit, utilis erit tinctura radicis chinae, aut salsaeparillae pro potu assumpta; familiaris autem est in hac aegritudine usus pulverum antispasmodicorum, qui symbolam suam conferre possint ad minima vasa telae cellulosae nervorum expedienda. Qui autem morbi saevitiem effugit, et convalescit, cautissime indusia mutet, aërique se exponat, morbus enim, qui confectus esse videtur facile aliqua ex parte reviviscit.

CAPUT XXV.

ANIMADVERSIONES, ET CAUTELAE CLINICAE.

Pleraeque regularum, quae traditae sunt in tractatione de Miliarium etc., etiam in hujus morbi curatione servandae sunt; in aliquibus tamen ab iis magis, aut minus est recedendum ex peculiari morbi natura, ejusque compositione. Quae igitur aliquem recessum expostulant, singillatim adnotabo. Alia etiam, quae morbi indoles speciatim sibi vindicat addam; interim moneo quoad reliqua expositis regulis esse inhaerendum, atque non pauca deducenda esse ab iis considerationibus, quas suppeditant effectus rerum non naturalium, remediorum eventus, atque morbus haereditarius.

Venae sectio quamvis morbus plerumque non sit cum spissitudine inflammatoria, attamen etiam ut in miliari audacter est instituenda, nisi jam aliquam corruptionem humores inierint. Ad san-

guinis autem missionem decernendam medicum non regant tensio, et durities pulsus, quae saepe absunt: pulsatio frequenter in hoc morbo subcilindrica est, atque brevis cum pulsus oppressi charactere. ex viscida lympha obicem sanguini ponente, et conditione arteriae urgenti sanguini non cedentis *, atque materia morbifica sanguini inhaerente. Tunc autem vena secanda ad sanguinis, et humorum cursum expediendum, licet primo aspectu mittendus sanguis esse non videretur.

Cucurbitulae utiles in quocumque dolore, qui ab externo corporis habitu interiora petat. Utilissimae autem sunt in exanthemate subsidente, et quando circuitus hnmorum per cutim difficile peragitur.

Frictiones quocumque fere tempore juvant, et exercitii defectum aliquo modo supplent.

* Licet notabilis illa, quam pluries memoravi pulsus mutatio ad sinistrum pulsum soleat pertinere, tamen sive ex lymphae visciditate, sive ex vi miasmatis extrema vasa afficientis., atque fortasse etiam ex aliqua infirmatione, in quam generatim nervi veniunt etiam pulsus lateris non laesi, aliquem habet a naturali statu recessum morbi conditioni convenientem.

Fotus non sunt brachiis applicandi, eo quod attrahant venenum ad partes superiores, neque etiam convenit tumorem malleolorum fotu dispellere. Si tibiae tumenti fotus applicatio opportuna videatur in morbo chronico, ea ratione dirigatur, ut pars in sudorem cogatur, atque exanthemata extrahantur. Caeterum utilissima res est plantis pedum fomenta apponere, sive ad sudorem obtinendum, sive ad venenum inferius alliciendum.

Magnae utilitatis sunt *Epispastica*, sed ea potius in tibiis, quam in artubus superioribus sunt applicanda, atque revellens efficax medicamentum constituunt. In sinistro autem brachio nihil agunt, nisi pulsus ejusdem lateris se efferat, atque apparens in eo latere facilis sudor, vasa cutis aperiri significet.

Fonticuli in morbo chronico valde prosunt, si praesertim in corpore cutis, aut in membrana adiposa venenum existat. Nullam efficaciam habent ad mucum subcutaneum, aut resolvendum, aut evacuandum.

Rubefacientia, uti etiam sinapismi multi facienda sunt, ut superiores partes

impetens venenum ad inferiores deducatur. Emplastra etiam similiter attrahentia plantis pedum applicita, insignem admodum pluries utilitatem attulerunt, et eos qui disparuerant sudores pedum, restituerunt.

Clysteres in omni fere morbi stadio utiles sunt, atque juvant multiplici ratione. Mucum intestinorum, qui saepe viscidus est, atque etiam in laminas concretus, emolliunt, atque fluidiorem reddunt, et motum peristalticum adjuvant.

Nihil *balneis* utilius est in morbo chronico potissimum; nisi enim cutis emollita apertior reddatur, atque sudores postmodum obtineantur, morbus non superatur. Balnea non frigida sint, neque calore suo sudorem urgeant, sed eam ponant in homine conditionem, propter quam a natura utilis sudor moveatur.

Balnea utique aquae dulcis commendantur, sed longe praestant balnea aquarum thermalium, quae principiis suis activis possunt porros cutis aperire, et muci visciditatem emendare, atque exanthematum materiam foras educere.

Emetica perraro admittit hic morbus,

quodcumque sit ejusdem stadium, atque etiam quando superaddita alia caussa morbi, emeticum suadeat, circumspecte procedendum est, atque ad circumstantias aegri ex morbo proficiscentes diligenter advertendum. Severe autem hac super re tyrones moneo, ne faciles sint in praescriptione emetici, quando agitur de stomachi malo; nam ex inopportuna ejusdem exhibitione aeger in summum vitae discrimen adduci potest, sicuti patebit illi, qui recolere voluerit ea, quae speciatim dicta sunt de dolore stomachi.

In primo morbi stadio, et in secundo generatim *Purgantia* non conveniunt. Si alvus iners sit, et segnis, frequenti clysterum usu moveatur, aut dentur mitissima subducentia, et lenientia. Caeterum interdum et purgantibus locus esse potest, quando rerum circumstantiae consulunt, ut exanthematum expulsio ad aliud opportunius tempus distrahatur. Interdum ex. gr. evenit, ut per rheumatismum brachii, ischiadicum malum, aut pedum phlegmatiam, aut alium contumacem localem morbum, venenum conticescat. Cum autem adnotatum sit a prudenti Medico non esse venenum a sede sua, in qua conticescit, dimovendum, nisi faveant

aegri positio, annique tempus, si contingat, ut materia morbifica dimota, et resorpta, non faventibus rerum circumstantiis, exanthematum eruptionem moliatur, (de qua male in ea rerum conditione augurari Medicus debeat), praesertim si documenta adsint praevalentis miliarium miasmatis, utique purgantia dari poterunt, quae naturam ab exanthemate afferendo avocent, atque iterum venenum ad suam sedem, ut conticescat, compellant. Verum si post adhibitum purgans, materia morbifica primam sedem non repetat, sed in pulmones, aut stomachum, aut intestina irruat gravem morbum minitans, abstinendum statim a purgantibus erit, atque resolventibus attenuantibus suffectis, oportebit operam naturae relinquere, quae si exanthemata urgeat erit sustinenda.

Venenum hoc ad intestina delatum, alvi fluxum contumacem interdum gignit, qui si abdomen ad tactum non doleat, permittendus quandoque est; licet enim nunquam eradicativam curationem per hanc viam natura fecerit, et saepe alvi fluxus sit symptomaticus, et etiam mali ominis, tamen per internam villosam tunicam cum muco pars aliqua veneni e corpore secedit. Verum observavi a pur-

gantibus ea occasione adhibitis facile allici majorem veneni copiam ad intestina, quae membranam muscularem, aut nervos ipsos lacessens, dolores vehementes affert cum periculo inflammationis gangraenosae.

Circa ea, quae pertinent ad colicam intestinorum, et alvi fluxum, expendantur iterum quae proprio loco scripta sunt.

Porro adest quaedam vomendi praesertim matutinis horis facilitas, sive vomituritio, quae videtur suadere usum purgantium, sed ea potius augetur, atque adducta majore portione ad stomachum, gravia mala subsequuntur. Inter purgantia vero minus probo pulpam tamarindorum, et cassiae, atque cremorem tartari, quae parum convenientia mihi videntur propter acidum principium, quod continent. In hac enim aegritudine, potius agitur de muco viscido abstergendo, et de bile peculiari modo vitiata, non autem de bile flava, et ardente, cui speciatim haec purgantia succurrunt.

Diaphoreticorum, ut quisque novit, non eadem natura est; alia enim acria aromatica sunt, et stimulantia, alia abstergendo, et solvendo agunt, alia vero quemdam aestum in sanguine gignunt,

ex quo humores rarefiunt, attenuantur, atque ad cutim impelluntur. Si vero humorum compages soluta evaserit, adstringentia, et tonica diaphoresim *

* Ut ea, quae ad diaphoresim pertinent, juniores Medici penitius intelligere queant, opportunum duco rem hanc data opera explanare paullo altius etiam eam repetendo. Pulsus non modo proficiscitur ex corde, tamquam a primo motore, sed sustinetur, et regitur a vi arteriarum, quarum segmenta pulsantia haberi debent, tamquam totidem cordis species, quorum successiva, et continuata actione sanguis in circuitum urgetur, atque propellitur. Sanguis nempe cor irritans, abscondita quadam proprietate ejusdem actionem excitat. Idem autem sanguis a corde propulsus arteriam extendit, urget, atque ad motum incitat momento virium impetus a corde accepti, et actione ipsius sanguinis arteriam impetentis; sed haec vis posita esse videtur in quadam determinata sanguinis cohaesione principium activum commode intra se vinctum retinente. Hoc principium, quod ignem peculiarem animalem esse putamus, et pro caussa summa habemus ruboris, et firmitatis sanguinis, humorum circuitus, caloris, necnon virtutis succi gastrici, etc. ad animalis vitam regendam, debet cum quadam determinata proportione, et nexu, interposita lympha, cum globulis sanguinis cohaerere, atque intra eos convenienter retineri. Hinc ignis nimis vinctus, et accumulatus, morbum gignit, sed postea per affrictum sui juris factus, si compagem sanguinis non dissolvit, lympham atterit, et mutat, pulsum etiam expandit, atque serum veluti in vapores resolvit, qui cum massa sanguinis, aucta vi, cutis alliciente, et adjuvante fortasse diversa vasorum externorum, et internorum ratione urgentur ad cutim. Quod si sanguis minorem, quam oportet, cohaesionem habeat, solutis lymphae vinculis, aut ex debilitata actione vasorum non fuerit cum globulis sanguinis convenienter compactus, eo in casu adstringentia, tonica, atque phlogistum, sive ignem interdum addentia diaphoretica evadent, cum alias, et quidem saepe diaphoresim excitent ea, quae vasa irritant, atque resolvunt lympham densatam, quae nimis forti vinculo ignem retinet.

ciere possunt, sed et ea, quae tantum diluunt, aut incidendo, et abstergendo lympham coactam resolvunt, atque a vinculis solvunt ignis animalis nimis vincti particulas, viam ad diaphoresim parant, ex quibus omnibus patet multi interesse, ut Medicus bene dignoscens aegri sui positionem, sciat aptata praesidia accommodare. Ea autem, quae acria, aromatica sunt, et calefacientia diaphoretica, majorem sollertiam a Medico requirunt in eorumdem praescriptione.

Cum Medicus sit naturae minister, generatim debet naturae bene, et opportune agenti auxiliatricem operam praestare, neque eam ab opere suo dimovere. In primo igitur stadio, atque praesertim post recens susceptum miasma, naturam, quae sudores moveat non abducat. Quo citius enim se se veneno liberat, eo melius est. Quod si ea adsint indicia, quae ostendant, jam a diutino tempore intus retentum venenum fuisse, atque lympham magnam visciditatem acquisiisse, sanguinemque coactum esse, non urgenda res erit ullis diaphoreticis, sed incumbendum vitiatis humoribus emendandis, atque actio exanthematum propellendorum erit naturae relinquenda. Interim facta exanthematum eruptio, etiam erit aptatis diapho-

reticis sustinenda. Sed iterum ante oculos habeantur ea, quae dicta sunt de non dispellenda inopportune materia morbifica conticescente. In curriculo exanthematico, in quo bilis actuosa partem notabilem materiae morbificae agentis constituat, exulent diaphoretica acria aromatica calefacientia, atque sufficiant in opportunitate mitiora. In febribus sudatoriis a diaphoreticis est abstinendum, uti etiam in iis, in quibus facile venenum transfluit; tunc enim potius curandum unice est, ut diffluens humorum massa contineatur.

Diaphoretica utique interdum exitiosa sunt; saepius autem valde opportuna, sed ea debent a sagaci Medico, et aegri constitutioni, morbi compositioni, ejusque tempori aptari.

Attemperantia autem in hac aegritudine saepissime perniciosa sunt, non modo in morbo chronico, sed etiam exanthematico, neque ea, nisi per aliquod tempus, atque in data rerum convenienti conditione possunt cum utilitate adhiberi.

Camphora utilior est in febribus lentis nervosis (quantum quidem me docuit observatio), quam in hoc morbo exanthe-

matico: ea enim omnia, quae calefaciunt, atque in sanguine aestum gignunt, facile caput replent, et ex rarefactione, quam afferunt in vasis jam distentis cerebralibus, incommoda augent. Infensa autem maxime sunt strigosis hominibus, et sanguineo, biliosoque temperamento praeditis, tum etiam iis, qui ad quartum stadium deducti sunt, et in quibus humores jam corruptivam, solutamque diathaesim acquisierunt. Caeterum in magno lentore lymphae, una cum amaris abstergentibus, aut etiam efficaciter solventibus in usum adduci utiliter camphora potest.

Moschus majorem utilitatem praebet in miliari morbo, quam in hac purpura miliari; haec autem ejusdem usum non permittit, nisi existente viscidae lymphae conditione, et persistente sanguinis firmitate. Moschus enim sanguinem rarefacit, et solvit, neque idcirco ulla ratione opportunus est si exanthemata dispareant ex transfluente propter sanguinis, et humorum tenuitatem materia morbifica.

Vipera, uti etiam alkali volatile utile extitit imbecillis, paralyticis, desipientibus, et impetiginem disparentem, cum succedente magna mentis perturbatione,

ad dorsum manus, et carpum restituit. Sic etiam utilis est in psora subsidente: in membrana adiposa conticescens venenum submovet, atque si cuticula laevissima non fuerit, exanthemata propellit. Inutile est viperae jusculum in morbo antiquato, si cuticula laevissima extiterit; haec enim laevitas ostendit jam textus cellulosi summam visciditatem adesse, atque ipsi firmiter accretam, et nexam cuticulam esse. Si agatur de homine sanguineo, strigoso, atque si venenum sanguini inhaeserit, aut sub flammae discurrentis imagine vexet, jusculum viperinum non convenit; nam in sanguine aestum gignit, mucum subcutaneum non resolvit, atque venenum ad caput urget. Eadem documenta spectant etiam ad castoreum, assam foetidam, atque salia volatilia.

Antiscorbutica magni habeantur, vere saepius utilia ad lymphae, et sanguinis densati solutionem, sed etiam in quarto stadio emendant faucium corruptionem scorbuti aemulam, sed eo in casu sunt saepe mitibus acidis vegetabilibus adjungenda.

Acidorum mineralium, opii, corticis

peruviani, et martialium usus opportunus non est. Expeditis vasis, atque obtenta exanthematum chronica eruptione, aestivo tempore ad tonum fibrarum erigendum acidulae martiales aliquando sua utilitate non carebunt; sed eae nonnisi in fine curationis locum habere possunt.

Mercurius in hoc morbo inutile, immo perniciosum praesidium fuisse pluries observavi quocumque in stadio aeger esset. Attamen in malo ischiadico, contumaci arthritide, colica musculorum abdominis, dispnoea ex viscida lympha pulmonis vasa opplente mirifice profuisse observavi, (uti jam in hac tractatione adnotavimus) ad vasa prompte expedienda, et viscida lympha retentum venenum in circuitum pellendum, et tutius per exanthemata eliminandum. Adhibui vero pluries intra nicthemerum mercurium dulcem datum dosi grani unius, aut alterius cum camphora, et pauxillo therebentinae, aut extracto chamaepiteos, etc., eoque remedio cito dolores imminuti sunt, atque in circuitum acta materia est, ita ut eam potuerit deinceps natura eliminare.

Moneo autem mercurium dandum non esse, si conditio pulsus ostendat sanguinis texturam tenuem redditam esse, atque

vim vitae esse infirmatam, sed confidenter posse exhiberi, si pulsus cum aliquo nisu propellens extiterit.

Valerianae radix magni omnino facienda est in curatione hujusce morbi, cujus caussa tantopere per telam cellulosam nervorum progreditur, atque eam sive serpentariae, sive contrayervae junctam in morbo chronico quamdiu ad quartum stadium non pervenit, valde profuisse observavi. Ea tamen morbum non superat, sed alia requiruntur, quae valeant per sudorem, et exanthemata materiam morbificam eliminare. Praestantiora auxilia habentur ex forti corporis exercitio, et usu balneorum. Quaerant autem diligenter Medici vera efficacia externa praesidia, quibus viscidus mucus subcutaneus resolvatur. Magna enim hujusce, sive ad generandam cuticulam, sive ad eam retinendam ratio summam ponit peragendae curationis difficultatem.

CAPUT XXVI.

PROPHILAXIS.

Cum longe facilius aëris inquinati usura, quam contactu adventitius acquiratur, atque tanta sit diffusae calamitatis hisce temporibus extensio, jam patet cautelas servandas eo tantum redigi posse, ut aër cubiculi, in quo degunt homines hunc morbum habentes frequenti, et aceti, et aromaticorum suffitu emendetur, atque per patentes januas, et fenestras renovetur. Qui vero aegrotanti assidet eo praesertim tempore, quo fortes, foetidique sudores erumpunt, sollicitus advertat, ne ore vaporem ex stragulis, aut aegri ore exhalantem hauriat, et si forte hauserit, salivam in ore contentam expuat, neque inutile est aromaticum aliquid ea occasione in ore volutare. Quod si in aliqua incidat incommoda, quae suscepti veneni dent suspicionem, sollicite curanda est perspiratio, atque per forte corporis exercitium maligni humoris ejectio.

Ad prohibendum autem, distrahendumque morbi progressum, ea in usum deducantur, quae exposita sunt in consideratione effectuum, qui nascuntur ex usu rerum non naturalium, et curatione morbi haereditarii, et acquisiti. Summa vero prophilactica cautela posita est in frequenti corporis exercitio, diligenti perspirationis cura, usu vini tenuioris, victu sobrio, et quem majori ex parte vegetabilia praebeant, parcam etiam coenam commendamus, atque si alvus segnis fuerit, frequentem clysterum consuetudinem.

Haec sunt, Collegae mei spectatissimi, quae in praesentiarum vobis communicanda habebam ad meas observationes, et animadversiones super praesentanea morborum indole pertinentia. Observationes quidem ea qua potui sollertia, et diligentia institui, certioresque vos facio de mea in iis referendis ingenuitate. Animadversiones autem, et cogitata mea vestrum judicio submitto, sed vos iterum rogo, ut velitis vestra etiam studia sollicito, atque constanti labore conferre ad ea multa, quae supersunt ulterius explananda, et

definienda. Si quid futuris annis detegere datum erit, quo rectius, et amplius de hoc morbo dicere debeam, certissime eadem ingenuitate, atque vestrum benevolentiae fiducia vobis proponam.



FINIS.



FACULTATE OBTENTA.





